


IAC. SADO LETI

DE LIBERIS RE- CTE INSTITVEN- DIS, LIBER.





M D XXXIII.






IAC. SADOLETI AD GVLIELMVM BELLAIVM

Langeum, De liberis rectè instituendis Liber.

e VRIPIDIS Est, *in Andromacha opinor, non tam formam fœminæ, q̃ uirtutes esse quæ delectent coniugem.* Te *uerò* Gulielme Bellai, *optime amicorum omnium, quanta oportet affici uoluptate: qui eam uxorem nuper duxeris, cuius ad egregias animi uirtutes atq; dotes species ac forma ad iuncta sit, digna electissimis moribus: quos habuit quidem illa unde disceret, nata in familia nobilissima, & in eis educta quotidianæ uitę consuetudinibus, quæ splendorem & elegantiam optimi generis apprime redolerent. Sed tibi certe contigit ex tui animi sententia, ut talem haberes, qualem semper optasti.* Nam *cum etiam tu antiqua nobilitate, & claris maioribus procreatus, plura, ac multò præstantiora ornamenta tibi ex uirtute acquisiueris, ijs quę à natura & à fortuna multa ac magna accepisti. Sanè fuit æquum, ut sociam thori, atq; uitæ eam tibi adiungeres, cuius ingenium & uirtus tuis humanissimis moribus responderet.* Maxime *autem in hoc laudanda*



FRANCISCI Regis nostri sapientia est, & consilium summo principe dignum, qui quod cæteri ferè in equis & canibus, ipse præcipue in uiris facit, ut prouidentiam omnem adhibeat, quò ex spectatis utrinque generibus electi in hoc sanctum fœdus matrimonij conueniant, ut ex bonis parentibus nascatur progenies, quæ postea & Regi, & patriæ possit esse utilis. Etsi in eo præterea necessaria esse disciplina quædam uidetur, quemadmodum domi ali atque institui debeant pueri atque adolescentes. Quo de genere nos, cum nuper nescio quid conscripsissemus, uiam patribus, & rationem ostendere conati, qua bene atque ingenue erudire liberos possent, statuimus tibi deferre hoc munus, quod futurum esset monumentum nostri in te amoris: & si tu minime omnium huius quidem præceptionis indigeas. Quis enim est, de instituendis recte liberis scribere aliquid uolens, qui non plura & potiora domi uestræ huiusce generis documenta reperiat, quam ipse ad instruendum alios possit afferre? In quo sepe solitus sum mirari parentis uestri felicitatem, an uirtutem, an uerius dicam utrunque: qui cum plures sustulerit, aluerit q; liberos, sic eos omneis equaliter artibus optimis, & præclarissimis moribus expoliuit, ut cuncti ex eadem quasi forma humanitatis, simul ac dignitatis conflati, & quodam modo excussi esse uideantur. Sed tamen non inacceptum tibi fore hoc animi mei studium sum arbitratus, quod & iucundum amicitia, & opportunum recens tuum coniugium facturum sit: E quo Deum immortalem precari non desino, ut te

gignere prolem eam contingat, quæ paternam & auitam uirtutis imaginem in omni posteritate possit propagare. Verum ut ad ipsum iam sermonem de liberis recte instituendis ueniamus: Cum sederem olim in meridie domi ociosus, nescio quid tum de meis studijs cogitans, accessit ad me Paulus Sadoletus, adolescens sanè quàm deditus studijs honestissimis, quem ego fratris filium, traditum mihi à patre, in filij educans loco, omnibus eum instituere contendebam & literis bonis, & moribus. quem tamen laborem leuem mihi & iucundum faciebat, cum summum eius ingenium, tum uoluntas natura & consuetudinem iam ad omnem optimam partem, rationemq; propensa. Is tunc cum introijsset ad me aliquantum temporius quàm solebat, (erat enim tempus diei certum constitutum, quo audiebat quotidie de me Aristotelis Ethica) Sic eum interrogare ingressus sum. IACOBVS. Quid est Paule quod te huc tam mature? num te fefellit hora? aut aliud quid forte apportas noui? PAVLVS. Nihil quicquam magnopere Patrue mi, aut si non tam huius, quę in corpore sit, quàm sanctioris in animo generationis & meæ pietatis ergo te proprium nomen quæritur, longe iustius mi Pater. Sed ego ad te accessi prudens aliquanto maturius, non ipse aliquid apportans noui, sed expectans potius à te. IAC. Quid istuc quod expectas? age, exprome, nihil enim recto studio tuo abnuet unquam uoluntas mea. PAV. Scio ego istuc, etiam te tacente, mi Pater: facile enim mihi declarat res ipsa. Sed modo percunctanti mihi cum cubicularius dixisset ocium tibi esse, non in

opportunum sim arbitratus petere à te, ut de instituenda recte adolescentia ea mihi in unum præcepta componeres, quæ sparsim & interaise sæpe edere es solitus: cupio enim habere mecum tanquam commentarium præceptionum huiusmodi, è quo ipse me conformare ad uirtutem possim, ut talis fiam, qualem tu me esse uis. Sed hoc nisi molestum est, & si non aliud quid anteuertendum putas. I A. *Mihi molestum? aut aliud quid anteuortam? an est quicquàm omnium rerum quod malim, quàm te & optimum, & doctissimum esse? Sic enim puto te hoc quærere, ut quod & ad bonos mores attinet, & quod ad literas bonas, totum tibi id à me explicari cupias.* P A V. *Istud ipsum est, quod ego cupio.* I A. *Atqui Paule si rem tractare, & exequi ordine suo uolumus, ab ipsa pueritia exordiendum est. Nemo enim instituti recte potest adolescens, qui nequiter fuerit eductus puer: nam ut radix indolem ingeniumq; arboris, sic bene moratam & compositam adolescentiam pueritia ipsa producit. Hoc primum tempus ætatis, quod in primis lubricum est, atq; anceps, minime est omnium legibus iis, quibus nunc utimur, animaduersum atq; tractatum, neq; adhibita cura, ut id publice excolatur, cum maxime in eo uno ciuium boni mores, & ciuitatum salus constituta sit. De actionibus, & controuersijs inter sese ciuium accurate iura constituta sunt: in quo autem fermè sunt omnia de genere uitæ eligendo, de educatione liberorum, de officio parentum, de uirtute, de moribus, quas quenq; sequi artes, & quas rejcere conueniat, mirum silentium est, preterquam*

est, preterquam siqua sunt Pontificio *iure ad doctrinam uirtutis ac religionis precepta iuuentuti, uel generi potius certo, ijs uidelicet qui sacris initiati sunt, nec tamen ea ordinatim, neq; à pueris, ut potius innuisse preclara quedam, q̃ diligenter exposuisse uideantur.* Greci *diligentiores: nec tam in agendo precipiendoq; ea, quæ sunt uirtutis: (in hac enim laude nulli omnino nationi neq; generi prisci illi maiores nostri concessere: quod ueterum rerum monumenta perspicue indicant) quàm in conseruando & tradendo posteris ea, quæ optime essent statuta. Cum apud nos &* .xij. *tabularum lex totius æquitatis ac iuris seminarium, & uetera omnia plebiscita,* S. *consulta, magistratuum edicta, nouorum iurisconsultorum infinita quadam ubertate & redundantia iandiu offusa & obliterata sint.* At me Hercule *apud* Græcos *non modo* Draconis *ac* Solonis *ueteres quamplurimæ leges, uerumetiam* Lycurgi *rhetræ, ut illi appellant, conseruatæ perquamdiligenter sunt. Quod eò est miserabilius, quòd ille bonam partem legum suarum, non in tabulis, sed in mentibus atque animis ciuium suorum inscripserat, ut usu, non scriptura perdiscerentur.* Redeo ad Solonem, *cuius legibus sic ad unguem & propè curiose omnia perscripta sunt, quod ad educationem quidem attinet puerorum, nihil ut omnino, quod ad eam spectet rationem, omissum sit.* Est *enim ille quæcunque etiam minima tenuissime perscrutus, qua de gymnasijs, qua de pedagogis, quota diei hora, quosq; ad ludi magistros ueniendum esset, quo etiam uestitu & comitatu incedendum: ac ne illud quidem prætermissum,*

 ut cum

ut cum procederent in publicum, intra pallium manus continere deberent. His, *ut mea opinio & coniectura fert, nequaquam indiligentius maiores nostros illos ueteres accuratiisse, quæ ad disciplinam iuuentutis facerent, existimandum est: nam & illæ in campo quotidianæ exercitationes hoc declarant, & tempus militiæ præscriptum, & gerendi mutandiq; uestitus diuisa tempora, cum à prætexta ad togam puram, inde ad togam uirilem transitus esset, quæq; huiuscemodi multa, non tam ex antiquis legibus, quarum scriptura interijt, quàm ex annalium monumentis & rerum gestarum historia seligere licet: quibus promptum est cognoscere, ex illis disciplinæ bonæ seminibus, atque illa tanquam noualium agrorum sic recentium animorum diligente cultura, eas uirtutum & morum optimorum fruges fuisse effusas, quibus prisca ætas redundauit.* Nos *ista contemnimus scilicet, curamq; penitus liberorum parentum permittimus arbitrio.* Ast *quotusquisque est qui sapiat recte? & aut liberos studeat effici quam optimos, aut etiam id si uelit, nouerit, tamen modum & uiam instituendi? non'ne ignaris plerunque hominum mentibus lumen à legibus præferri oportuit, quo & uolentes docerentur, & cogerentur inuiti?* Nunc *in hac perturbatione uitæ atque morum mihi uenit in mentem canticum illud, quod usurpatum olim apud ueteres, cum esset laus iam priscorum temporum unà cum* Rep. *& libertate* Pop. Rom. *profligata, nostra ętate instaurari uideo.* PAV. *Quod nam id est:* IA. *Aetas parentum peior auis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem*

ros progeniē uitiosiorem. PAV. Iā memini Horatianū. IA. Iam illud maximū uinculū in legibus Solonis, ad continendos patres in officio, atq; uti liberorum curam secundum præscriptum legis gererent. quandoquidem, si prætermisissent, & uel auaritia uel scelere compulsi uiolassent sententiam legis in educandis atque instituendis liberis suis, propositę erant pœnę, & grauis iudicij metus, ad quod eos adduci à quolibet uolente, & nomen deferri illiusmodi patris licebat: legitima quoque illis adempta, quæ naturę lege quadam atque humanitatis patri debeat filius: nam neque colere illum talem cogebatur, nec reuereri, nec sustentare suis opibus egentem aut debilem. Denique qui parentis boni officio in filium usus non esset, in eum noluit lex ullum à filio pietatis & grati animi officium sua autoritate extare. Illud unum excepit, sanè quam humane, ut defuncto eiusmodi patri, iusta tamen filius faceret: cum in eo non ullum commodum ageretur parentis. Sed illa pietas naturę, ipsiq; humanitati debita redderetur. Sed quorsum hæc? ut ītelligas Paule magnam huiusce primę ętatis curā rationēq; ducendā esse à sapientissimis fuisse iudicatū: ut quę uestibulū quodam modo uitę sit, totāq; annorū cōsequētiū quasi formā q̄dā & ędificationē pręferat. PAV. Sanè ꝑsuasum mihi habeo optimo hęc ab illis cōsilio īstituta fuisse, quę & rōnē bonā in sese habeant, & egregiam cęteris oībus utilitatem afferre uideantur: quo etiam magis cupio explicari mihi ea à te, & sub unum quasi aspectum pueritiam cum adolescentia constitui: non enim mihi hoc soli, sed pluribus fortasse erit

emolumento

emolumento. IAC. Bene ominaris Paule, itaque est faciendum: & quoniam omnium rerum bonarum principia ab Deo immortali ducenda sunt, ambo eum uenerantes obsecremus, ut uolens & propitius adsit nobis, sibiq; grata, & reliquis utilia iubeat à nobis proferri. PAV. Sic agamus. IAC. Est igitur huius nostrę pręceptionis ratio in duas diuisa partes. Altera in moribus pars, Altera in literis tota consistit. Mores pertinent eò, ut quodcunque fiet dicetur'ue, habeat in sese modestiam quandam, ordinemq; agendi aptum & conuenientem, in quo splendeat decorum illud, quod non animos modo prudentium, sed imperitorum etiam oculos delectet, moueatq; necessariò in admirationem sui. Literarum uerò & artium earum, quas uocamus optimas, ea uis est, eaque natura, ut quod caput in nobis est, atque adeo quod uere & proprie sumus ipsi, id tanquam inchoatum & rude acceptum à natura, ad summam ipsę dignitatem perpoliant, exprimantq; in eo formam diuinę illi similem. PAV. Par est pręclarum mediusfidius mi Pater, siquidem altera ex parte facit, ut similes Deo simus, ex altera ut uideamur. IAC. Atqui Paule hoc tibi in primis & maxime animaduertendum est, hoc penitus tenendum & comprehendendum, non esse nos quod oculis cernitur hoc corpus, & hanc compactam ex ossibus & neruis molem carnibus contectam, cute uestitam: neque hunc uultum nostri primam imaginem, in quo notare signa interiorum sensuum solemus, atque animum penè ipsum in eo noscere. Sed quo sapimus intus, & cogitamus, unde omnis est

mnis est nobis ratio atq; consilium, hoc nos homines esse, factum ipsum quidem ad imaginem effectoris sui Di: sed obscurum per se & languens, nisi scientię & literarum lumen accendat. Iam quod dicebamus rectam educationem in literas & in mores distributam esse, rursus alia diuisione secandum est, quatenus quidem pertinet ad mores: nam literæ continenti ferè cursu gradus habent suos, quorum ex alio ad alium transitus fiat: mores diuisi nec ratione solum, uerum etiam tempore. PAV. *quo pacto?* IAC. *Non est eorum unum genus, neque simplex tractatio. Aliud enim in moribus profectò est, quod aliena cura & ratione imprimitur in nobis. Aliud quod à domestica mente atq; consilio nobis ipsi consciscimus.* PAV. *quid amborum ut diuisa tempora sint, non ne una ac eadem est ratio?* IA. *Quorum alterum cum ratione est, alterum nullam continet rationem, non potest amborum una atque eadem ratio esse.* PAV. *Cupio mihi hoc fieri planius.* IAC. *Conabor equidem, quod melius ut possim, simile tibi proponam, in quo intueri imaginem meę rationis possis. Dic ergo tu mihi, uidistin Romę Apollinem illum, qui in xysto positus ad hortos uaticanos, anteriorem illam ambulationem, & omnem gyrum uiridiorum exornat, cui proximum est Laocoontis simulachrum, ea qua scimus omnes artis prętantia & nobilitate?* PAV. *Amplum illud signum dicis & procerum; facie augusta hominis plus paulò quàm adolescentis? quod tanquam sagittam emiserit ex arcu, diducto gestu brachiorum, uidetur expectare, an quò intentum fuit*

telum e perueniat: in quo lenes illi conatus motusq́; corporis, atque oris eximia pulchritudo, summam & opificis artem, & operis gloriá demonstrant. IA. *Illud ipsum.* PAV. *Et uidi sæpenumero, & contemplatus sum.* IA. *Quæro ergo ex te, si ipse Iouis Apollo filius illa prorsus fecisset, ab eoq́; in lapidem omnia descripta sint, oris, & corporis liniamenta, gressus quoq; & motus, nec non uoces, soniq́; uerborum, ita ut nihil fieri possit similius, mentis uero & cogitationis nihil omnino intus sit, dixeris'ne tu unam eandemq́; rationem Apollinis in Deo & in marmore esse.* PAV. *Agnosco* ὁμώνυμον. *& simul uenit in mentem imaginis illius, quam Nube caua tenuem sine uiribus umbram in faciem Aeneę finxit, non tam Iuno suis manibus, quàm carmine maximus omnium Poeta.* IA. *Optimum istuc quidem, & ad id, quod dicebamus etiam appositum: cuius ego in memoriam si reduxissem, non habuissem necesse certare cum Polycleto, & tanquam addere conari quę ipsius statuarię arti deessem ornamenta: cum multo prestantior ille Polycletus simulachrum cuiusmodi quęrebamus, omnibus absolutum & perfectum artis ornamentis, nobis effinxisset, sed simulachrum duntaxat, hoc est quod non mente & uoluntate sua, sed imitatione quadam solum moueatur: quod ego te arbitror non eiusdem modi, neq; unius generis cum uero ipso Aenea existimaturum esse:* PAV. *Minime uero existimem: iamq́; intueri mihi uideor, quę sit utriusq; moris distantia, alter enim extrinsecus inductus est, & aliena ratione impressus, suę expers rationis, tanquam inanimatus mos, ueri moris simulachrum,*

lachrum, & quędam quasi penicillo in aliena tabula ducta similitudo. Alter quem *sua & propria ratio gignit formatq́;, consulto istud agens, gnara muneris sui atque officij, eademq́; continet, quod in priore illo genere non accidit: ita hoc ueritas est, illud ueritatis adũbratio.* IA. N*unc mihi tu sapis, & ueram insistis rationem, nõ enim in puero, neq; homine pueri simili, qui sit mentis suę & consilij inops, illa extrinsecus inducta moris imitatio, aut certi ordinis uim, aut uirtutis propriũ nomen habet.* PAV. A*ssentior.* IA. *Quin & uocabulis quoq; ac nominibus rẽ distinctam esse uideo, quod extraneum illum morem disciplinam uocamus, proprium autem & nostrum, uirtutem.* PAV. *Quid ita?* IA. D*isciplina est, assuescere ad alienę uirtutis imperium: uirtus, ad suę.* PAV. *Iam intelligo. Sed quid tandem isto more opus, ac non sua potius ratio ad informandum optimis moribus hominem in unoquoque expectatur?* IA. R*em iacis* P*aule difficilem cognitu, iuuenibus præsertim, quos nondum dies, & usus, & rerum multa cognitio edocuit, quantu sit consuetudinis, & quàm propè ineluctabilis uis, quo etiam non conuenit, neque potest cadere in ætatem istam exacta illa & subtilis uirtutis notio, quam etiam senecta ætate qui consequuntur, beati iure appellantur. Sed uobis pueris uel etiam adolescentibus scientiæ & cognitionis loco persuasio quædam tradenda est, ut credatis & pareatis maioribus natu, quos tamen existimatione hominum probari intelligitis: nihil enim in laude hominum, bona'que opinione uersari diu potest,*

quod

quod abhorreat ab æquo atque uero. Quantum autem afferat ad uirtutem consuetudo, uel ex eo patet, quòd quæ de uirtute philosophia pertractat, ea non à consilio, neque à scientia, sed ex more ipso appellata est moralis: non enim magis corpus tenerum in membris manu fingitur, atque componitur, quàm animus purus atque recens in eum discedit morem, in quo instituitur. Quemadmodum enim in stirpibus, sic in hominum animis, quandiu molles hi sunt, atque tractabiles, quæuis facile inducitur forma: quæ si postea usu & die callum obduxerit, fit propè immutabilis. Cum autem illud incommode natura paratum esse uideatur, ut tanto ante in animis nostris cupiditates rationem anteueniant, omni ope curandum est, ut extraneę interea cogantur obedire rationi, dum sua & domestica aduentet ratio, cuius tanquam legitimæ dominę imperia libentius deinde exequantur: nam si quoad illa abest, nullius cura cohercitę, regnum sibi in animo uindicare conatę fuerint, & quæ libuerit omnia ad uoluntatem gerere, nę frustra post reclamabit, & aduersus illas nec quicquàm contendet ratio. Ac ut tibi, quanquam adhuc penè puero (annum enim modo ætatis undeuigesimum attigisti) aliquid tamen aperiam de opere ipso, consilioq; naturæ, quando studium me tuum & ingenij bonitas inuitat. Sic habeo, duas in homine esse animi partes, dissimiles natura inter se, & fermè repugnantes: unam rationis, alteram cupiditatis: harum partium ratio perspicax ex sese est, & luminis particeps, mentisq; habet oculum cernentem clarissime atque acutissime

omnia:

omnia: cęca, & luminis penitus expers est cupiditas. Porrò harum partium utriq; consiliarij sui adsunt bini: in suadendo unus, in dissuadendo alter. Rationi *quidem ipsi atq; menti, honestum & turpe:* Cupiditati, *iucundum & molestum.* Hi *cuncti numero sex, cum contubernales sint, & in unis commorentur ędibus, si non consentiant & congruant inter se, sed sint turbulenti atque discordes, quas tu ibi rixas atq; pugnas, quos perturbationum motus, quantos fluctus seditionum inesse putas? cùm aut tanquam turpe repellit ratio, quod sibi iucundum cupiditas adsciscit: aut cupiditati molestum est, quod ratio iudicat honestum: clamores intus assiduè scilicet, tumultus, prełia. Quę est igitur uera ratio bene uiuendi? hęc nimirum, ut sese exęquet cupiditas, & componat rationi, suumq; iucundum cum illius honesto, & cum turpi molestum coagmentet, & construat: quod assuescendo maxime, & agendo, commode fit: nihil enim tam iucundum, quàm illud, in quo assueueris, esse potest; hoc tu in tuis sodalibus ac socijs, nec non in eis locis, in quibus es alitus, studijsq; quę pertractas facilè per te potes* Paule *existimare, à quibus siquis te auellat, conuertatq; ad familiaritates alias, & ad alia studia, moleste accipias, quod insolitum & inusitatum morem odiosum ducas: ad consuetum uero cum uoluptate delabare. Quod tantum habet consuetudo & inconsuetudo uirium, ut altera effectrix iucundi sit, molesti altera. Cùm itaq; se sic habeat res, contendendum est omni studio parentibus, ut liberos à teneris recte doceant assuescere*

suescere. Quanquam enim mos iste aliena cura impressus, non uera uirtus est, sed simulachrum imitatioq; uirtutis: tamen, quemadmodum de Pygmalionis muliebri statua in fabulis traditum est, processu temporis euenit, ut Deorum aliquo beneficio, in spiritum & uitam uerae uirtutis transeat. PAV. *Ni te à primo aliud percontatus essem, libenter paterer te hunc diem totum in his sermonibus ponere: ita cum perpulchra sunt ista, quae narras, tum mihi quidem uehementer iucunda.* IA. *Atqui iucundiora multo tibi erunt* Paule, *cum re ipsa experieris ita esse, & quae nunc auribus & cogitatione tua concipis, etiam usu intelligentiaq; percipies, à quibus tamen ingenium tuum iam propius abest, quàm aetas: finxit enim te natura ad studia uirtutis aptum. Cura etiam accessit patris tui primum, deinde nostra. Proinde iactis praeclare adolescentiae tuae fundamentis, tua reliqua est contentio, ut spei laboriq; nostro, aliorum quoq; expectationi, quae multa de te excitata est, studio & diligentia & omni uirtute respondeas.* PAV. *Incensus amore sum mi* Pater, *cum sponte mea, tum tuis in primis monitis & hortationibus incitatus, ac magis etiam aliquantum, postquam sum à te in* Graecae *linguae cognitionem, & philosophiae studia inductus, ex quibus quidem dici non potest, quot & quantae ad animum meum perueniant uoluptates.* IA. *Macte uirtute, taleis enim animos haud est difficile recte instituere, tanquam autem si omnes caeteri eodem animo sint, sic nos ad educationem pueritiae prius, ac deinceps adolescentiae aggrediamur.* PAV. *Quid si non sint eo*

dem

dem patr, & naturam difficilem, minusq; aptum afferant? I A. *Meministi opinor quod à tuo Poeta de labore est dictum.* P A V. *qua ille labore improbo uinci omnia affirmat, id fortasse dicis.* I A. *Dico enimuero: uerum & illud quoq;, quod in communi prouerbio fertur, usum fieri alteram naturam.* P A V. *Fertur quidem, atq; in primis.* I A. *Veruntamen sic habeto, si natura minus idonea sit, posse quidem euinci labore atq; industria, ut is, quicunq; ille fuerit, sub disciplinam bonam datus, minus incommodus euadat, nulla insigni re ad turpitudinem notatus: preclaram autem illã speciem, decusq; eximię uirtutis, nemo potest omnino sine initijs naturæ, & naturalibus quasi seminibus acquirere. quę cum ita sint, nobisq; id optandum sit in puero, in quo naturę est potestas, non nostra, ingenium bonum uidelicet, quid obstat ut non id optemus, quod sit commodissimum, quod item de genere, & fortuna, & conditione eius, quem instituturi sumus est dicendum, ut sit honesto genere, bonis parentibus, locuplete familia, legitimo coniugio procreatus: non quòd cęteris, quibus cuncta ista non adsunt, sit interdicta ad uirtutem uia: sed quoniam ijs certe, qui à talibus principijs proficiscuntur, magis expedita sit & planior. Prudenter enim Gręcus Poeta, cum crepido generis non bene statuta sit, fermè progeniem inhonoratam prædicat sequi: & re uera illud altum & fidens & liberum in animo, contrahat sese & minus audeat necesse est, cum est, generis sui probris in parentibus ipsis notatum. Nato igitur puero, nam quoad materna aluo continetur infans, &*

si quædam de exercitatione corporum, ac de quotidiani ui ctus disciplina matribus præcipi non inutilia possunt, tamen quoniam uentrem non omnes æqualiter ferunt: sunt q; aliæ alijs magis imbecilles, naturæ illius temporis sit cura potius, quàm patris. Natum *quidem infantem curare protinus debet pater, ut uberibus mater præcipue suis alat, & propter cognationem sanguinis, & quod ea res non mediocre uinculum adiungit amori: in quo enim plus laboratur, id cum perfectum fuerit, plus etiam diligitur.* Verum *si aliquo casu nutrix fuerit adhibenda, deligere oportet unam, quæ sit moribus casta, ingenio prouidens: ut enim affici animum etiam nostrum, non corpus solum, eis cibis cernimus, quæ à nobis quotidie sumuntur: sic lac ex eo corpore haustum, quod temperato regitur animo, animi ipsas illas qualitates in infantis naturam non minimum defert.* Prouidere *autem oportet, ne aut asperior in puero tractando nutrix sit, ne ue rursus quàm fuerit æquum, blandior: obrepit enim mos ex illo usu non quotidiano solum, sed singularum penè horarum & punctorum etiam temporis, in naturam pueri, ut uel asperitate perterritus demittat animum, atq; illiberalem quandam timiditatem contrahat: uel si blandimentis nimys fuerit corruptus, non queat deinde diutius in una uoluntate consistere.* Sed *cum omnes ipso initio uitæ protinus nati ad fletum & uagitum simus, quasi præsagiente natura fortunam humanæ conditionis, quæ miseriarum plena est, non dubium est per oculos & aures infantium, tanquam rudes rerum omnium, & penitus insuetos, sensiones ad*

labi ad

labi ad animum etiam in somnis, quæ eum concutiant & terreant: quòd, ut iam diximus, omne inusitatum fermè molestum accidit; atq; inde illis assidui fletus excitentur: cui rei remedio est assidua uectatio, & nutricum cantus, atque ut incuultibus & in affatibus familiarium infans assuescat. Ac *uectatio quidem maxime in omnem partem est salubris: nam & confirmat corpus, & animum illis terriculamentis liberat: motu enim externo interiorem illum motum, umbratilemq; uincente ac dissipante, sensionum impulsiones illę hebetantur: ob eamq; causam & cunę repertę sunt, quasi natura ipsa commonstrante quid conueniat agi, & gestatio in ulnis puerorum assidua. quare danda opera est, quoad eius fieri potest, ut quę pueros fœminę alunt, habitent tanquam semper nauigantes.* Cantus *uero eam uim habet, ut non modo turbatos sedet animos, sed sępe etiam furentes, sicut in* Corybantibus *fit manifestum.* Iam *cum ad id ætatis fuerit uentum, ut puer concipere iam uerba, & auscultare attentius loquentium sermones incipiat, tunc maxime patrem attendere oportet, & circumspicere familiæ disciplinam, nequod turpe uerbum, aut impium erga* Deum *ad aures pueri allabatur: ne'ue quis gestus obscœnior in oculos incurrat.* Ac *matris tum quidem etiam præcipua est curatio, illi enim in sinu, atq; in uultu præcipue hęret infans, ingrediq; ab ea & fari discit: quapropter ductare eum ipsa, ac gestare debet ad templa, ad res diuinas, ad familiarium matronarum colloquia atque cõspectus, ut cognatos affinesq; diligere iam puer, & eos discernere, atq; distin-*

guere non de facie solum, sed ipsis nominibus queat: nec eum tamen ullam in domum introduxerit, in qua non casta, & grauis sit disciplina, undiq; enim tanquam à locis circumcirca salubribus salutares auræ, sic ab integris & sanctis ex omni parte moribus, afflatus bonæ disciplinæ in animum pueri influendus est. Procedunt *anni, fitq; indies puer & animo & corpore uegetior, ut tanquam idoneo in solo iam seri aliquid possit: nullumq; semen est aut prius aut præstantius, nec quod uberiores ex sese fruges aut utiliores ad beatam uitam efferat, q̃ inijcere illi in intimos animi sensus & nomen, & cogitationem præpotentis* Dei: *u eum incipiat & amare, & reuereri, à quo sibi omnia dari atq; donari quotidie audiat, quod commune iam est utriusq; parentis officium: quē enim ipsos uiderit adorantes, & cui agentes pro benefactis gratias, eiusq; opem atq; auxilium in rebus dubijs implorantes supplici uultu atq; gestu, de eo iam ipse eā opinionem concipiet, tanquam quiddam sit, hominum, quos ipse nouit, & potestate & natura multo maius: præsertim si, ut fit, cum quid puer appetiuerit quod sibi flagitet dari, aut bullam, aut prætextam, aut quippiā simile, quod ad ingenuitatis & familiaris nobilitatis pertineat cultum, quotiescunq; dabitur, toties* Dei *illud esse donum atq; munus puero inculcetur, ut de principio amare condiscat, quē necesse est etiam timere, non timore illo seruili, is enim neq; gratus* Deo *esse potest, neq; ad innocentiam, ueramq; uirtutem quicquam proficit. Sed ipso eo, qui cum amore ita coniunctus est, ut nequeat auelli,* De *quo diuinitus*

scriptum

ſcriptum eſt in ſacris literis: Timorem *domini omnis ſapientię initium eſſe.* Et *uere cuius in animo inſederit iſte* Dei *ſiue amor, ſeu timor, quando utrunque in utroque mixtum & copulatum eſſe dicimus, de eo nunquam extimeſcendum eſt, quòd ad malas uitę rationes, quiſquis ille eſt, penitus ſe dedat: quod in puero potiſſimum conandum eſt, ut hæc bona radix ad beatam uitam frutiçans, in eius animo quammaturiſſime, & quamſolidiſſime pangatur, dum uacuus locus eſt, neque alienis aut etiam contrarijs animi conceptionibus propter nouitatem naturę, atque ortus, mens etiam nunc occupata: cum quę primo & ſpatioſe depoſita ſunt ſemina firmiter comprehendunt, nec ſtirpium adhuc multarum ſylua in anguſtum coguntur.* Atque *humana quidem eiuſmodi ſunt, ut errare & labi quandoque ſit neceſſe: ueruntamen ſi iſta pietatis ergo* Deum *purę ą; religionis tanquam arbos intus adoleuerit, ſicut inutiles herbas umbroſis in locis naſci fortaſſe & uirere contingit aliquandiu, matureſcere quidem certe, & frugem ferre commode non contingit. Sic omnia uitia, quę capitalia fuerint, hac demum religionis uelut umbra necabuntur.* Atque *hoc, quod de* Deo, *& de religione in* Deum *dictum à nobis hoc loco eſt, ſic primum eſt in puero & ante omnia curandum, ut nihilominus intelligatur in omnem id uitam pertinere debere: omnis enim profecto uirtus, omnis dignitas, omnis uitę iucundę ac beatę ſpes, in hoc uno ſtudio pręcipue poſita eſt, ut* Deum *& amare & uereri non deſinamus.* | *Sequitur altera puerilis animi cultio, poſterior ea quidem illa, quam modo diximus, ſed cęteris longe*

 anteceden-

anteœdentior, ut pater qui filium suum alere atq; educere ad laudem excellentis uiri cupiat, talem sese illi ostendat ipse, qualem eum effici uult: non enim ulla hac esse potest prestantior disciplina. Neq; hoc eo dico, quò non multa sint quotidie uitę ornamenta adaugenda in pueris, quæ in patre fortasse non sunt: ut literarum, uerbi causa, atq; artium illarum, quæ optimæ nominantur, studium atque cognitio, aut iuris ciuilis, Pontificij ue scientia, belli quoque & militię, si id ita contingat, exercitatio atq; usus, fieri enim potest, ut pater horum omnium expers parentum suorum culpa, uel etiam fortunæ existat ipse, quę tamen in filio procuranda sunt: commune enim est & a natura inditum in omnium animis parentum desiderium, ut filios relinquant meliores & clariores se, quod euenit amore quodam naturali, neq; magis filij, quàm sui ipsius in unoquoq;, propter insitum & innatum studium perpetuandæ uitę, quo ad cupiditatem rapimur immortalitatis: pater enim in filio ipse uiuere, & transferre semetipsum in suam imaginem sibi uidetur. Sed ut aliqua in patre desint, ad quę non amplius iam illa est ætas, fundamentum tamen omnium in ipso est, bonus rectusq́; mos uidelicet, & constans ac grauis domi disciplina, de qua summatim nobis dicendum est, & hic locus totus continenti oratione breuiter comprehendendus: quandoquidem quę ad literas & ingenuas disciplinas attinent ordine paulò ante proposito, in secundum locum dicendi reiecta sunt. PAV. Et recte quidé, nó enim difficile postea fuerit reuerti ad annos & pueritię primordia, si sic fuerit

opus:

opus: & ego nunc quidem hac parentum uirtutis, & quasi quadam in filijs delineatione ualde delector. Siue quòd est egregia & digna animaduersione ista res, siue quòd horum maximam partem ego quoq; in memet à uobis, qui me aluistis, ac produxistis, expertus sum. IA. Sit igitur hæc prima parentibus proposita lex erga eos liberos, quos ipsi uolunt ad uirtutis optimam frugem producere, ut quales eos effici student, tales ipsi eis uideantur. Neq; hoc tamen, quod præcipitur à nobis, facile factu admodum est: quod ei qui uelit assequi, noscenda & tenenda est in rebus mediocritas: cuius usus difficillimus, fructus præclarissimus semper fuit. Verum siquis forte fuerit pater, qui minus ipse regendo filio idoneus, illum tamen cupiat in uirum magnum adolescere, requirat magistrum aptiorem, cuius in disciplinam filium suum committat: satius est enim externis moribus probum, quàm domesticis degenerem filium educari. Et hoc tamen factitatum sæpe à summis uiris non legimus solum, sed perspeximus ipsi: nisi forte Philippi Regis Macedonum consilium reprehendendum est, qui cum Alexandrum filium haberet ea spe atq; indole maximæ uirtutis, quam res deinde ab illo gestæ comprobauerunt: tradidit eum à puero summo Philosophorum Aristoteli instituendū. Sed nos quidē sic nūc ponamus, tanq̄ parens ipse ad puerum instituendum atq; erudiendum aptus sit, quòd & sæpe animi ardore quodam efficitur, ut etiam si antea minus cogitauerit quæ ad eiusmodi uitam moderatā atq; grauē ptineant, amore filij incensus in eam curam totum se conferat. Adhi-

benda igitur, ut diximus, est mediocritas, sine qua nihil uel specie pręclarum, uel usu iucundum uere esse potest: cuius etsi integram, plenamq; notionem sola philosophia prębet, attamen qui natura bona praediti, atque ingenio bono, laudem sibi adipisci ex uirtute contenderunt, etiam absq; philosophia aliquam aliquando in se imaginem huius omniũ uirtutum dominae mediocritatis haud ignobilem expressere. Hoc ex genere hominum sit pater: natura moderatus, uirtutis ac dignitatis studio praecipue flagrans, qui se totum in animum ingeniumq; pueri per oculos & aures illius infundere studeat. Statim enim conijcit oculos puer in patrem familię, ut primum ualere cogitatione incipit: attentiusq; omnia illius dicta & facta intuetur, ut magnopere sit prouidendum, ne quem fingere ipsi atq; formare ad omne uirtutis decus cupimus, aliquo ex nobis eum dehonestamento potius inficiamus. Quoniam uero sensus oculorum sensum audiendi anteit, priorq; adhibet uim sibi à natura traditam, ponenda primum ante oculos filij species in patre est grauis uiri, quę in amictu, & omni motu corporis animiq; consistit, inq; ijs, rebus omnibus, quae domi geruntur quotidie, in quibus pater seruare uestitus consuetudinem eam debet, qua populus maxime utitur, ita uti neq; nimis uestimentis lautus, quod leuitatis: neq; rursus plebeius sit, aut sordidus, quod aliquando neglìgentię, saepius autem ascribitur auaritię: motus uerò animi sui atq; impetus, qui ab iracundia, ab aliqua molestia, ab amore, ab odio, à spe, ab inopinato gaudio, ab alicuius mali & calamitatis metu, à subitis

tristium

tristium rerum nuncijs, à cæteris aiusq; modi affectibus, intestinisq; pulsionibus feriunt animos & quatiunt, & de statu eos demouere conantur, ita sustemet & regat, ut appareat intuenti, motus illos animi quamuis incitatos & celeres, expectare tamen & morari rationis imperium: nec excurrere audere, nisi cum, & quoad illa prestituerit: quo spectaculo quidem nihil cerni in rerum natura potest diuinius. quid enim oculis hominum tam preclarum, tamq; magnificum, atq; in omni pulchritudinis dignitate tam eminens accidere potest, quàm uirtutem animi intueri moderantis motus, & cupiditates suas, easq; ad rationis normam apte dirigentis? qua consuetudine si à primo imbutus puer in parente ipso fuerit, næ ille egregiam sementem in animo conceperit futurę in se prestantissimę uirtutis. Sed hanc modestiam & temperationem animi sequitur corporis in omni motu ac gestu quædam quasi tarditas: non ponderis illa, neq; lentitudinis, id enim plerunq; ignauię, & desidię potius est, aut etiam stultitię interdum, & stoliditatis. Sed quę se ad illam interiorem grauitatem accommodet, eisdemq; & astringatur habenis, & laxetur, quibus regitur animus, ut cum eueniat interdum ut acrius aliquid agendum contendendumq; sit, manuum, pedumq; celeritas, & uultus, uocisq; acrimonia, non interdicta nobis à natura, sed ab ratione intus atq; consilio ad usus necessarios reseruata fuisse uideatur. Hoc, ut dixi, quod est ipsius uitæ quasi decorum quoddam, ornans illam totam atq; illustrans, nosse quid quacunq; in re deceat, & quando & quatenus, ma-

xime quidem comprehēditur & perficitur ex philosophia, quæ una facit, ut sit ipsum sibi undiq;, & in omnem ultum semper consentiens: sed plurimum etiam ætas, & rerum multarum usus affert, & in humanis euentibus quid plerunq; acciderit, & accidat, diligens animi, aduersio, quæ & philosophiæ ipsi materiam instrumentumq; suppeditat, & sola sine philosophia in homine acuto natura, atq; probo, speciem potest effingere uiri sapientis: plenam autem ac perfectam sapientiam nequaquam potest. Debet aūt pater familię cum semp animum suum habere in potestate, tum uero cum pręsente filio aliquid eiusmodi contingit, in quo uideatur debere commoueri, aduocare meminerit consilium rationis: neq; solum quod conueniat, agere id atq; exequi: sed cum quadam etiam dignitate, ut quammaxime fieri potest, in animo pueri illæ pręclarę species insinuentur, & insideant, quæ ubi sedem sibi, locumq; in eo constituerint, usumq; & autoritatem domicilij fuerint nactæ, nullo postea modo passurę sunt dedecorosas alias, deformeisq; species propè se accedere, aut diutius considere. Sit itaque pater ab hoc uitę instituto pius ac reuerens erga Deum immortalem, cum ęqualibus comis, maiorum absq; assentatione & uenditatione sui obseruator: in seruos uero ac domesticos mitis potius, quàm asper: uerum ut retineat grauitatem imperij, sibiq; ad nutum omnis præstò esse instituat, utaturq; domi breuiloquio, uoce leni quidem, atq; placata, sed uerbis ualentibus: neq; seruorum congressus & colloquia nimis sæpe appetat, adeuntibus tamen, & aliquid expostulantibus,

bus, semper sit comis, respondeatq; summatim quod sit æquum & bonum. Vt *autem ipsi inter se sint concordes & pacem colant, nemini q; fiat iniuria: atque uti inopia laborantibus, uel etiam morbo oppressis ipse subueniat cum quadam cura, significatione q; beneuolentiæ, uerbis quoq; & factis aliquanto benignioribus: hoc patri utiq; familias non in ultimis habendum est, si eos continere in amore sui, & in magno metu suæ amittendæ familiaritatis uelit, quam illi sic tractati, sępenumero uitá sua habent cariorem: & inest tamen in hoc toto genere grauitas quædam & autoritas imperij, specimen dignitatis eximium demonstrans, quę ad magnificentiam animorum exaggerandam pertineat: ingenerandum est enim in animo naturaq; pueri excelsum illud & rectum, quod nec in potentioribus obseruandis grauitate careat, neq; in regendis humilioribus mansuetudinem deponat, cuius uti pulcherrima, sic difficillima est tractatio: & tamen eius prima lineamenta ducere in animo filij, sui imitatione debet pater, quę postea in eo ętas illustret, usus confirmet, philosophia perpoliat.* Atq; *hæc nos sermone percurrimus, non ut instituamus familiæ patrem, maius enim id negocium & maioris operæ sit: sed quantum ex eo manare ad filium boni moris quadam specie uirtutis ac dignitatis imitanda pōt, id ut quasi penicillo leui ducamus, & describamus in animo recēte & tenero, quo tanq̄ in arbuscularū molli adhuc corticæ inscę literę, sic hęc uirtutis in puero descriptio, tpe demū aucta & cōfirmata obualeat.*

PAV. *Optīe istuc quidē, nā nec difficile fuerit, meo quidē*

animo

animo, ubi tales parentes extiterint, filios, probos & prudenteis existere. I A. Recte sanè: sed ego illud abs te existimari Paule uolo, cum uirtutis omnis doctrina aut in exemplis constituta sit, aut in præceptis: hoc est, ut uel oculis, uel auribus in animo concipiatur, maiorem propè habere uim hæc, quæ quasi prætereundo, & non dedita opera fieri uidentur, tantumq́; exemplo mouent oculos ad informandas puerorum ad uirtutem mentes, quàm quæ ad hunc eum ipsum finem palam intenta sunt. mouet enim illa admiratio paternæ uirtutis, quæ in quotidianis moribus elucet, pueriles animos ad uoluntatem imitandi, præclaroq́; spectaculo inuitat, ut fieri cupiant similes: cum præsertim uideant eos, qui circum sunt, cum silentio & ueneratione patrisfamiliæ imperia exequi: obuersatur enim illis ante oculos & in intimos sensus obrepit, nec uigilantibus solum, sed sæpe etiam in somno, decorum & pulchrũ illud, quod est solum per se, suaq́; sponte spectabile: cuius aspectus & admiratio prompta est, eaq́; omnium communis. Scientia uero paucis concessa, atq; in hoc quidem genere tacita magis, quàm uocalis patris eloquentia ad instituendum filium proficit, ea uidelicet quæ ipsis factis loquitur: nam uerbis agere, & dare ea uitæ præcepta filio, quæ pater ipse sibi non sumpserit, idem est ac profiteri se itineris ducem esse in eum locum, à quo ipse longe diuersus abscedat. Quod si talem ut queat gerere personam, aut à natura non accepit pater, aut sibi ipse studio & meditatione fingere non potuit: eum ut iam diximus, hominem requirat, cui recte in disciplinam filium possit tradere. Verũ

re. Verum nos, ut cœpimus, in patre insistamus, qui aut esse talis debet, aut ut sit, optandum certe est, qui præeundo filium possit ipse in iter rectum ad uirtutem deducere. De quo nondum à nobis dictum est, quod est maximum, & ab hominum usu fortassis atque opinionibus longe remotissimum. P A V. *Quod nam quæso istud est? magnum enim esse profecto, quicquid sit, necesse est, quod ad tot res, tam præclaras, quot iam strictim oratione percursæ sunt, aliquam accessionem queat afferre.* IA. *Hoc nimirum est, in quo uita communis tanquam in scopulo erroris alliditur, quòd omnes penè homines diuitias putant & magnitudinem pecuniæ ad uitam bene ac lautè agendam, maximum simul adiumentum, ornamentumque existere. Atque hoc fortasse non usquequaque falsum est, magna enim commoda atque adiumenta hominibus, non ad uitam solum, sed ad usum etiam exercitationemque uirtutis, à pecunia parata atque à domesticis opibus sunt. Sed hac opinione & sententia longius ductos, nescire sibi constituere finem, & modum ignorare tam quærendi quidẽ, quàm etiam utendi: nullam hac ego statuo pestem in humano genere perniciosiorem incidere potuisse: per quam quod patet scilicet, & perspicuum est, hominum inter se societas & fides iampridem sublata penè, & de uita tota exterminata est. Ast ego contra contendo, domum eam quæ diuitijs, pecuniaque redundet, necessario omnis recti moris, & propter eam causam uitæ quoque pacatæ ac iucundæ expertem esse. Neque ideo dico, quòd paupertatem & inopiam è contrario adsciscendam putem: facile enim*

assentior

assentior Regi *sapientissimo Deum obsecranti, ut nec diuitias sibi, nec paupertatem, sed tantum ad degendam uitam donet necessaria: quam item sententiam, pater ille philosophorum, noster* Plato *comprobat*. Sed *cum flagitia hominum & scelera maiora quaedam sint, alia minora, suscipiendum est, maioribus nimiam rerum copiam fontem originemq; esse, minoribus inopiam caussam afferre.* Ego *uero malim eius familię, è qua ingenuum puerum, adolescentemq; instituimus, sic opes domi, & fortunas esse constitutas, ut dominus quęstum nullum faciat, sitq; domesticis uectigalibus contentus, quę potissimum consistant in fructibus praediorum, ea porrò suppeditent ad usum cultumq; quotidianarum, non modo commode, uerum etiam liberaliter: sed quibus dispensandis frugalitas adhibeatur: nam luxum, & opulentiam, & uarietatem supellectilis, multiplicesq; domi ornatus, atq; cultus, tanq̃ uitae uenena in primis fugienda esse duco: frangit enim, & conterit uim totam uirtutis, animumq; prorsus dissipat illa abacorum, mancipiorum, gemmarũ, tabularum pictarum, uestisq; singulę elegantia, ac uarietas, suiq; inani in admiratione detinet; ut uanissimis studijs homines occupati, ad ea, quae sunt uirorum industriae neruos & continentiae nequeant intendere: ac tunc minime, si in quotidianis epulis, & ijs, quae epulas sequuntur, ludis, iocis, cantibus, festiuis lepidisq; dictis, omnis & uitae & pecunię fructus reponatur.* Hoc *enim ex genere uitę, & assiduis domi delitijs, uini, cibi'que affluentia, ac quotidianis quodam modo lustris, cum dies, & horae, & tempora in aliqua semper uoluptate consumantur,*

mantur, non modo, feroces, & infesti, & arrogantes animi adolescentium fiunt, sed immoderati etiam, & effrenati, & crudeles, atque in omni genere deprauati: ut in naturam mentem'que tyrannicam euadant, nihil'q; iudicent rectum, nisi ipsis quod libuerit: cæteros autem homines pecudum ac iumentorum instar sibi seruire statuant oportere: ut confitendum planè sit, qua in domo, atque adeo qua in ciuitate huiuscemodi uigeant mores, sementem in ea omnium malorum & calamitatum esse iactam: nec fieri posse, ut status illius Reip. aut diu quietus, aut in uniuersum diuturnus sit. Atqui hanc uulgus liberalem uitam appellat: falsò istud quidem, uti alia multa: quippe cum ex hac potissimum consuetudine uiuendi, his profusis & luxuriosis sumptibus, auaritiam existere necesse sit, illam uiolentam & rapacem dico, per quam nationes urbès'q; euertuntur. Sed quoniam de his rebus subtilius disserendi non est in præsentia locus, sic patrifamilias præscribamus (sit modo is, qui liberos cupiat in uiros fortes, industrios'q; euadere) frugalitatem domi, & temperantiam, ac in omni cultu uictuq; parsimoniam illi retinendam esse: quæ tamẽ absit à sorde, nec minuti angustiq; animi iudiciũ præseferat: quod fiet, si quotidiano & penè stato appatu, mẽsis mũdis potius q̃ locupletibus, nõ obsoniũ parce præbitũ, sed cõquisitio & uarietas fuerit repudiata: uidetur enĩ ĩ hac moderatiõe uitę rõ ineẽ splẽdida & liberalis, uitiũ ĩ utrãq; p̄tẽ deuitãs, digna sapiẽte patrefamilias, cuius q̃d ad liberos educãdos p̄tinet, in hac p̄te quidẽ peculiaris curatio est: nã matres ferè & fœminæ omnes in=

dulgentiores sunt, itaque infarciendo & suggerendo quod=cunque expetitum fuerit, corrumpunt mores puerorum, neque aduersus eorum uoluntatem uel ipsi quicquam mo=liuntur, aut dicunt, uel alios patiuntur loqui: quo uno maxime regnum in anima cupiditatum, & Tyrannis ipsa alitur. An non attendisti his diebus Paule, cum Persarum res gestas legeres (me enim autore & Cyrum Xenophontis, & Herodoti historias græce amplexus es) quantum ex diuerso cultu institutioneq; puerili, diuersæ Regum illorum naturæ, & contrarij inter se mores extiterint? Cyrus ex patre nobili ille quidem & in primis claro apud Persas, sed tamen in illis moribus educto, quibus panis & aqua cibus, obsonium autem nasturtium herba, aut si carnibus uellent uesci, illæ erant labore & sudore, nec sine uitæ interdum periculo in syluis & à feris expetendæ, magnus extitit Rex, natus ad res gerendas, laudem & gloriam in imperio amplificando unam præcipue spectãs: cuius ergo populares comitas atque æqualitas, in bello uictas nationes clementia, atque iustitia effecit, ut non magis eum charũ haberent ciues sui, qui semper amauerant, quàm deuicti hostes, qui antea illi grauiter offensi fuerant: nomen quidem illustre est, & sempiternam laudem uirtutis ad posteritatem consecutus. Hic Cambysen filium, quem hæredem nominis, atque imperij relicturus erat, alijs ipse uidelicet negocijs occupatus, alendum mulieribus permisit: non enim uirtutis uim, neque rationem è philosophia, quæ una facit, ut illa sit sibi in omnem partem consentiens, sed à natura tantum acceperat: ergo dignum inue=

nit in

uenit in progenie sua muliebris disciplinæ fructum omni bus enim in delitijs, & mulierum blandimentis educatus Cambyses, & assuefactus à puero, nihil offendere, quod esset suis cupiditatibus obuium, postea Rex appellatus, ad eam intemperiem animi amentiamq; progressus est, nihil ut eum neq; saturare, quod usitatum esset, neq; quod legitimum delectare posset: ita ad cædes multorum, & in his fratris sui germani, furore quodam amentiaq; inductus, cum etiam Deorum immortalium numini illuderet, ad extremum sibi manibus allatis, & semetipsum unà & totam Cyri domum pessundedit. Delatum est postea ad Darium Persarum regnum, spectatę nobilitatis inter Persas, sed cuius tamen domi cultus atq; fortuna longe à regalibus delitijs abfuisset. Is porrò ad imperandum non eandem fortasse animi magnitudinem, quam Cyrus, parem quidem iustitiam atque humanitatem attulit: quare eius quoque opera regnum Persarum maius effectum est: à quo genitus Xerxes ab eadem atq; Cambyses educatione muliebri, paternaq; negligentia, Persas honore & laude æmulatos, graui ipse dedecore & calamitatibus plurimis affecit. Atq; hęc idcirco memorata sunt à me, tibi Paule, ut appareat quod pluribus uerbis fuit necesse dici, nullum esse obicem ad uirtutem adipiscendam maiorem, quàm delicias domi, & conquisitiores, quàm moderata ratio postulet, rerum apparatus: quorum studio si captus fuerit parens, nil est quod contendat fortem & strenuum, & idoneum magnis rebus post se filium relinquere. quid ergo est? placet mihi seueram & castam domi esse disci-

plinam: neque eam tetricam tamen, sed conditam liberali quadam comitate, ut domestici nullius rei indigeant, amici autem & hospites intro libenter commeent: ad quorum aduentus, inuitationes'que paterfamilias splendorem conuiuij, & hilaritatem uultus ac sermonis maiorem aliquanto illa quotidiana adhibeat: lautius quoque accipiat, & elegantius, nec tamen profusis sumptibus (hos enim semper abesse à bene constituta domo uolumus) quin in ipsis epulis & uino tacita poterit inesse exploratio & obseruantia quædam, quo se nam pacto filius gratinum patriæ disciplinę ac moderati usus memor, pudorem in conuiuio modestiamque retineat, nouerit que sibi ipse in poculis temperare: hoc enim documentum capi in pueris atque adolescentibus in primis conducere censet Plato, ad speculandum quę sit natura cuiusque: neque id nos repudiamus: etenim consilium est periculo uacuum, pręditum utilitate, in quo si satisfecerit adolescens, lætitiamque conuiuij hilaritate potius & sermone liberali, quàm palato & gutture metiendam sibi duxerit, næ de eo non nequicquam sperare licitum fuerit, talem eum fore, qualem quisque debet unus suum optare filium ut sit pater. Sed ut nostræ in hoc genere preceptionis summam faciamus: debet is paterfamilias, qui in ingenua disciplina ac liberali, eademque casta & moderata alere liberos suos uult, sic habere constitutam domi quotidianę impensę rationem, ut & parsimoniam sciat tenere sine sorde, & splendorem ac liberalitatem adhibeat, cum uenit usus, sine profusione & luxuria: ab omni quidem parua & concisa cogitatione rei

cuiusque

cultusq; uel minimę curandæ prorsus refugiat, qua omnis planè eijcitur ex animo ingenuitas, & uirtutis indoles obsolescit: hoc enim ex genere morosi, & difficiles, & molesti homines efficiuntur, nec cęteris solum, sed sibi ipsi infesti, omnia quasi semper desperantes, ijdem lucifugi, pusilli, ubi in cœtus se dedere, riduculi, siti propè in angulis, nihil latum & liberum in animo comprehendentes: oppleti mentem sordibus, & minutissimis occupationibus, quo quid uirtuti, grauitati, dignitati, altitudini animi fieri potest inimicius? Sed, ut ab hoc aliquando genere abeamus, habes Paule in patre formam eius exempli, effigiemq; dignitatis, cuius ego aspectum & contemplationē propositā uelim filio ei, qui ad magnas spes alatur, ad imitandum atq; assequendum: quę quidem in oculorum sensu posita sit, quorum interdum muta speculatio non minus proficit ad uirtutem, quàm aurium auditus uocalis, de quo ipso posthac dicendum nobis est: hic enim sensus disciplinæ est & doctrinę, & omnis sapientię peculiaris ac proprius, ut qui animum solus cernat, quem nequeunt oculi intueri. Itaq; Socrates ille Gręcię sapientissimus, oraculo quoq; delphico sic iudicatus, cum adolescentem quēdam facie honesta ac liberali diutius contemplaretur, illeq; adstaret tacitus, dixisse fertur, Tandem ut te uideam, aliquid loquere: uidelicet ille hominem esse ipsum animum, animi autem cognitionem & perspicientiam non oculis, sed auribus attribuebat: neq; id iniuria, hauriunt enim aures uocem, quam format & distinguit oratio, quę cū sit simulachrum cogitationis atq; mentis, uehiculum sensuum

intestinorum, ex animo ad alium animum uiã sibi faciens, perfert meditationes & commenta illius mentis, unde ipsa profecta est, per aurium meatus ad alteram mentem, legatione q; opportunissima & maxime utili fungitur, ut quę in arcanis mentium penetralibus occulta alioquin laterent & abdita hæc auditus uocis q; ministerio, cum tota humanorum animorum nobilissima atq; acutissima gente cómunicentur. PAV. *Et si quæ de uisione oculorum dicta à te sunt, quatenus per eos species quædam magnifica atq; grauis transmittitur animo, cuius ille exemplo & imitatione sit ornatior, summopere me delectauerunt: tamen expecto non minorem ex aurium sensu uoluptatem: quippe cum earum ope, illa ipsa quoq;, quæ de oculis dicta sunt, ad animum meum grata iucunda q; peruenerint.* Nanq; *& tu ad hunc ipsum sensum ornandum ac commendãdum ijs uerbis usus es, ut non mediocris mihi sit in te audiendo facta expectatio.* IA. A*gemus hoc loco* Paule *id, quod tu paulo ante dixisti facto opus fore, si accideret usus, ut reuocemus orationem ad priores annos, quos noster sermo erat pretergressus, peruenerat q; ad quandam metam, hoc est ad terminum eius ætatis, quã nos tribus septennijs, & quarti dimidio admodum intendimus definire: illo enim institutionis genere, quod exemplis, & moribus maiorum intuendis uitam uirtutis imitatione exornat, tota modo à nobis adolescentia comprehensa est. Cum uero ad ea referri orationem oporteat, quę in pręceptis & monitis, assiduis q; parentum uocibus erga filios posita sunt, quò illis non solum proponatur, sed exponatur*

natur etiam ipsa uirtus, Principium fuerit nobis ad hoc quintus ætatis annus: nam & is dimidium ferè staturæ conficit, quod ad mensuram corporis pertinet, quantum alterum tantum uidelicet auctionis, & incrementi uiginti cęteri anni addunt consequentes: & eo uertente anno, primum puer qui in potestate mulierum totus antea fuit, ad curam patris bona ex parte traducitur, Iam enim & proloqui expedite quę ipse intus concepit omnia, & planè intelligere alios loquenteis potest. Ergo ab eodem initio & fundamento, quo prius omnem nostræ ædificationis substructionem de integro coagmentantes, ab religione inquam, & ab Dei immortalis amore atq; cultu, principia iterum nostrę ducamus orationis: non enim si solem quotidie oriri & reuerti iucunde cernimus, propter excellentiam claritatemq; maximi syderis; cuius splendore & lumine exhilarescunt omnia, minus debet ad animum uoluptatis accidere, cum de Deo sæpius eadem repetimus, atq; adeo multo plus, quando omnis pulchritudo, & fulgor, & uarietas cœlestium astrorum, ab eius ipsius summi Dei infinita pulchritudine, tanquam exiguis riuis deducta est. Primum igitur & ante omnia curare debet pater, ut animum pueri illo timore Dei imbuat, de quo ante dictum est, qui timor solus ad inuictam fortitudinem animi aduersus humanos omnes casus firmandam & constituendam maxime facit: quod erit si eum illius, & ubiq; præsentiam, immensamq; maiestatem, non tam rationibus quidem, quas nondum capere potest filij ętas, quàm exemplis, & narrationibus rerum earum, quę diuinitus mirę

acciderunt, exposuerit filio: in beneficijs quoq; eiusdem Dei commemorandis, quibus & priuatim ipse ab illo, & omne genus humanum communiter affectum est, & assiduus fuerit & diligens: in quo mysteria nostrae religionis continentur, quae sunt tradenda & insinuanda penitus, neque hac informatione filij ad pietatem & religionem. quicquam habendum est antiquius. quod preclare fiet, si quae sancte & pie filio de rebus diuinis monstrauerit pater, ea non uerbis ipse tantum, sed factis & operibus usurpabit. Secundum Deum autem Diuosq; omnes, quos aut bonitas Dei statim ab initio, aut post preclara ipsorum in terris merita, & honestissime acti dies in coelum sustulerunt, quorum utiq; debet praecipuus uigere honos, & immortalis apud mortales gloria, parentes suos cuiq; maxime docebit esse honorandos, & re uera cum fere omnia parentibus debeantur, ortus enim noster & uita, lux quoq; ipsa haec diurna, quam ore, oculis, naribus, totius deniq; corporis contactu uolutatuq; libenter & iucunde percipimus, ipsis accepta referenda est: tum autem labores ab eis causa nostra suscepti, pleni curarum & solicitudinis, quos illi ut alant nos, & producant, sistantq; honeste in coetu ciuium, atq; aequalium nostrorum, non modo non refugiunt, sed appetunt ultro, & consectantur: digni profecto sunt, ut illis omnis a liberis gratia debeatur, que pietate potissimum, & cultu eximie cuiusdam uenerationis reddenda est: quam sequitur procuratio illorum uitae ac salutis, & ut eorum necessitates, atq; incommoda, labore, ac diligentia nostra depellamus: suppeditemus ege-

stuti, infirmitatem sustineamus, omnes domi forisq́; molestias, quæ undecunq; inferantur, ab illis propulsemus. Etenim *si bene* Hesiodus, *qui iubet pari mensura reddere beneficium, quod ab alieno acceperis, aut cumulatiore etiam si queas, quantum tandem erit parentibus impendendum, quorum beneficijs par nulla est gratia quæ possit reperiri: nec uero etiam quamuis infirmi, decrepiti, depositi, unquã inutiles filijs parẽtes sunt.* Sed *ut* Diuorum *imagines, & simulachra colimus, ob memoriam beneuolentiamq́; eorum, quorum uultibus assimulandis illa effıcta sunt, & quòd arbitramur ipsos illos* Diuos *propterea ad benigne nobis faciendum propensiores fore: sic nullum* Dei *immortalis simulachrum apud nos, quàm in patre & matre potest esse præstantius.* Atq; *his ita erudiendus est tener animus filij in honore cultuq́; parentum, ut pater matrem filio, mater patrem, utrunq; autem domestici ac familiares colendum ac uenerandum puero proponant.* Neq; *in solis tamen parentibus hic à liberis honos insistere: sed ad auos, reliquosq́; maiores, si forte superstites adhuc sint, progredi etiam debet: cum in illis omnium, quæ à parentibus accepimus, causa uideatur etiam esse antiquior.* Porrò *ab hac in patres, auosq́; reuerentia, hocq́; honore pio ac debito, reliquus quoq; iste honor & communis cultus, qui senibus, & grauibus, & ętate affectis hominibus impenditur, tanquã ex alueo pleno pudoris & probitatis exuberat: iustus ille quidem, neq; illi ætati non congruens, quæ sibi patrium non immerito nomen uindicat: nã et de principio pueri quos nondum subtiliter et exquisite ex oris uultusq; lineamen-*

 tis possunt

tis possunt discernere, illo aspectu senili admoniti, cunctos uocant patres: & deinde postea cum æqualibus consuetudo propè fraterna coniunctioq; amoris prębet in patribus eius nominis communionem. Iam *illa ætate quicunq; est, si non generatione, at consilijs potest puero atq; adolescenti fieri pater. quã ob rẽ rectissime* Romulus, *siue ille* Numa *extitit, quorũ alter urbis, alter iuris & religiõis* Ro*manæ fuit parens, hac senectutis cum nomine paterno cognatione adductus, summum consilium* Ciuitatis Sena*tum, ipsos autem* Senatores Patres *nominauit: statuitq; senioribus decedi de uia, caput nudari, & assurgi aduenientibus ab iunioribus debere: quod maxime ac diligentissime* Lacedęmone *obseruatum fuisse literis traditum est: mirum enim quanto in honore habita fuerit semper in illa* Ciuitate *prouectior ætas.* Ex *quo extat illud: ab homine* Spartano *salse ac docte* Atheniensibus *exprobratum.* Lu*dis enim* Athenis *cum* Lacedęmoniorum *legati in gradibus orchestrę honorifico sanè loco assedissent, postq; aliquantum pleno iam theatro ingressus senex, innixus baculo, homo sanè haud magni pretij, circumiret quærens locum, neq; eum sessum reciperet quisquam: ut uenit ad* La*cedęmoniorum legatos, illi confestim ob ętatis reuerentiam honorificæ assurgentes, superiore illi subsellio concessere: propter quod eis cum esset maximo plausu ab uniuerso theatro gratulatio facta, unus eorum non illepide,* Ergo *probe, inquit, norunt* Athenienses *quid facere rectum sit, sed id facere ipsi negligunt.* Formandus *itaq; parentum pręceptis & diligentia est puer, ut honorem senibus, & maioribus*

ioribus natu habere condiscat, habeatq; eos penè in parentum loco: proficit enim huiusmodi obseruatio cultusq; maiorum ad omnem uitæ modestiam adolescentibus plurimum, quod & pudorem in animis eorum ingenerat, & multos illis actorum dictorumq; suorum constituit testes, ut nullam in partem ipsi audeant extra honestum & rectum se commouere. Dum enim quos uerentur & colunt, eorum magisterium (ut ita loquar) & malam de se reformidant opinionem, difficilem habent magis rationem peccandi, deprehensiq; erubescunt: unde à uerendo dicta est uerecundia, quæ est actus ipse pudendi atq; erubescendi, in uultu peccatum pingens, & liberalem ferens criminis commissi multam: uadem boni ingenij tamen, & expectatæ in puero uirtutis, ut sanè apposite uideatur dictum, Erubuit, salua res est. Nam pudor ipse habitus est cauendi, & prouidendi, ne quid tale contingat, ut sit erubescendum, omni quidem ętati congruens, sed ornamentum pręcipuũ adolescentię: quem si amatorem flagitiorum, & propugnaculum continentię uirtutisq; dixerimus, haud sanè falso eum appellauerimus nomine. De quo suaserim equidem parentibus, quibus nostra non leuis futura est autoritas, ut hanc pudoris stirpem in ingenuis animis satam à natura, omni ipsi ope fouere ac propagare in liberis non postmittant: fructus ex ea uberes suorum laborum percępturi. Quamuis enim non sit pudor idem planè quod uirtus, firmamentum est tamen pręcipuum uirtutis: malæ enim de se opinionis atq; infamiæ est timor, in quo seuera est & diligens uirtutis custodia. Itaq; qui pudorem diuinum timorem

rem esse dixerunt, huius uim affectionis melius denotasse sunt uisi. Solus enim pertimescit ne id amittatur à nobis, quod unum obtinemus honore ac dignitate propemodum diuinum, decus atq; honestatem uidelicet. Ac cæteros mortis & periculorum pauores, metus, formidines, qui animos abijciunt ac propè exterminant, cum plerunq; uanos atq; inutiles, tum semper turpes esse merito existimamus, quorum etiam species ipsa indecora & illiberalis sit, nam & lurido pallore os, & tremoribus membra concutiunt atq; deformant: quod accidit animo refugiente ad arcem uitæ, quæ in corde est, & omnia illuc subsidia undiq; aduocante: ut quasi deseruisse exteriorem mœnium ambitum, & cessisse hosti loco uideatur: pudor uero occurrit foras, extra enim est periculum, ab opinione scilicet, atq; oculis, & ruborem in uultu, tanquam personam ad peccatum opponens, se celatum cupit, in quo ipse sese indicat, nec tamen magis deliquisse sese, quàm uel in animo, q deliquerit, ostendit: idq; ita uenuste facit, ut cum uideatur fateri peccatum suum, in eo ipso deceat, in quo fatetur. Sed quoniam de his satis multa, redeamus ad id, quod dicebamus, illud idemq; de integro sæpiusq; dicamus, huius affectionis uim atq; naturam, quæ timorem alit in animis ignominiæ, atq; propagat, ab eis patribus, quibus recta liberorum educatio est cordi, studiose in filijs inserendam, colendam, adaugendamq; esse, ut quæ quoad uera ratio & philosophia ipsa aduenerit, bonam in eis mentē, opinionemq; custodiat: in quo aliqua non leuis à parentibus diligentia & cura est adhibenda. PAV. *quę mi*

pater?

patere incredibile est enim quãtopere audire cupiam. Nã & si acceperam à uobis, qui me aluistis, atq; instituistis, honorandos parentes, & maiores natu colendos, idq; ego pro mea parte ut agerem, essemq; uobis dicto audiens, studiose enitebar: nunc tamen cognita utilitate uestri consilij, & quantus inde pudoris existat fructus intelligens, quod antea non animaduertebam, ero posthac in parendo, & perseuerando etiam constantior: quod quidem mihi pręcipue pręter cęteros conuenit: quando cęteri à singulis, ego ex binis parentibus ad uenerandos, colendosq; maiores productus sum. I A. Lętor Paule non inaneis fuisse operas nostras, quibus te ad philosophiæ studia appliare cœpimus, iam enim mente concipere te intelligo, quantum ad rectum morem uera ratio & scientia ipsa firmamenti afferat. Sed quod de pudore in liberis alendo & conseruando dicebam, id eiusmodi est, ut patres, quos iste amor filiorum ad decus & ad dignitatem instituendorum, dignus patria charitate indulgentiaq; cœpit, suscipiant negocium cum lenitate & mansuetudine, nec ullam asperam, ac perterricrepam (ut uetus Poeta inquit) erudiendi atq; instituendi ineant uiam: uerum facilitate, clementiaq; utantur: uerum ut in omnibus seruetur semper grauitas: non enim usq; eo demittere se debet pater, ut familiarem se, & ueluti sodalem constituat filio: ex quo oritur in puero patris cõtẽptio, & fiducia quæ dã sui ipsius, ut tanq̃ nulla astrictus lege, q̃d ũq; libuerit, pręfractius id cõcupiscat: neq; rursus ita austerus eẽ & ptinax, ut non multum comitatis atq; humanitatis filio impertiat:

uiuamq;

uiuamq; imaginem sui, qua nihil est parentibus in omni uita dulcius, non ardore quodam beneuolentię foueat charius atq; amplectatur. Sed ut moderandum est amori, ne nimia indulgentia corruptus puer, exuat metum & reuerentiam sui patris: sic à pręcipiti & prærupta asperitate uehementius etiam abstinendum est, quæ amorem elidit ex animo filij, eumq; in id uoluntatis & studij adducit, ut quęcunq; patri placere in se cognouerit, habeat ipse odio: & uel ad illiberalem animi timiditatem se abijciat, uel si fuerit natura contumacior, nitatur in aduersum, & detrectando imperium patris, quotidieq; deterius aliquid faciendo, quasi paternas iniurias sibi uideatur ulcisci. Hæc *intuens qua fuit sapientia, & quo usu rerum maior ille* Cato, *in primis ferre, & habere in ore solebat,* Non *minus pollui, & detestandos esse patresfamilias, qui coniugibus & liberis, quàm eos, qui delubris* Deorum *immortalium manus attulissent.* Et *uere, si cogitare uolumus, cum nemini expediat metu contineri in officio, minime conuenit liberis, quorum pręsertim animos ad decus & ad honestatem cupimus informare: infirmus enim & debilis uirtutis custos metus est: quem qui adhibere in filijs uolunt, audiant* Terentium *è communi uita huiuscemodi patres commode admodum obiurgantem.* Et *errat longe mea quidem sententia, qui imperium in liberos grauius & stabilius esse putat, ui quod fit, quàm quod amore adiungitur.* Sit *igitur hoc patri in primis propositum, ut se amari & magnificari uelit à filio: quod assequetur, si neq; morosus, neq; asper, neq; singula curiosius insectans, nullamq; in partem*

in partem immitis fuerit, & truculentus, præbuerit q; se facilem & indulgentem filio, grauitate tamen ubiq; retenta: id autem erit, si ita facta dictis temperauerit, inter se q; miscuerit, ut in is, quæ erunt studij alicuius & uoluptatis (quę quidem sit concessa atq; ingenua) nihil aut parum uerborum interponens, largiter cuncta suppeditauerit filio, siue equis ille oblectetur, seu canes ad uenandum appetat, uestitu etiam indulserit liberali & splendido, neque nimio tamen: ac deinceps hisce omnibus ut uocare ęquales suos, hospites q; accipere domi, munerare etiam interdum aliquem ex sodalibus suis possit: hęc enim pater si nihil prius garriens cum filio, neq; ineptis colloqutionibus iocum & hilaritatem quęrens, grauiter atq; magnifice, ac tanquam consilio certo, utenda, agenda, regendaq; concesserit: mirum quantus in animo illius insidebit, & ad amorem, & ad reuerentiam, nihil ut audeat, ne cogitare quidem filius, in quo displiceat patri. Rur*sus si in ijs, quæ erunt uirtutis atq; officij, quæ ad modestiam, quę ad continentiam, quę ad comitatem cum æqualibus pertinebunt, humanitatem cum inferioribus, ergæ superiores cultum, atq; honorem, pater orationi præceptis q; non pepercerit, fuerit q; in monendo & docendo assiduus.* Porrò *autem in rebus ipsi atq; factis, in quibus recta disciplina cernitur, nihil gratię causa permiserit filio, neq; siuerit ut suo ille arbitrio, ac non ex prescripto patris, præceptis q; uirtutis quicquam gerat, agat'que: nimirum hoc modo maxime illa pudoris fertilis uirtutum & frugifera radix, idoneos nacta cultus, ad summam dignitatem in puerorum animis*

adolescet:

adolescet: neq; illis solum metum ignominię, sed amorē etiam iniiciet & cupiditatem incredibilem adipiscendę laudis: altitudine quoq; animi & celsis rectisq; uoluntatibus illos adornabit, ut abhorreant omnem sordem indignitatemq;: optimus enim artifex pater atq; is, qui refert ad dignitatem omnia, cum se & propter indulgentiam suam amari à filio, & propter grauitatem metui obtinuerit, facile illius ducet animum in quancunq; uolet partem, nec ullum semen in eo uirtutis frustra iaciet. Itaq; se ille primum cupiet à patre & laudari & probari, laudato ipso (ut He*ctor ille* N*æuianus inquit) uiro, deinde ad æqualium familiaritates & consortia ita se dabit, ut cum splendore uitæ, & morum nobilitate illis antecellat, humanitate tamen uelit esse par. Sic uita erit, noster inquit* Terentius, *facile omnes perferre ac pati cum quibus erit, cumq; unà his sese dedere, eorum obsequi studijs, aduersus nemini nunquam pręponens se illis, ita ut facillime sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.* At *noster iste aliquantum plus: præter laudem enim atq; amicitiam nouam, etiā admirationem summæ uirtutis obtinebit. Sed quoniā multa cadunt in hanc ętatem, quæ sunt interdum uitio propiora, quàm uirtuti: quod quidem necessarium uidetur ita esse, propter efferuescentiam cupiditatum tum maxime, & quòd nondum adulta in pueris & adolescentibus est ratio, quæ postea quàm bene confirmata est, uix etiā uidetur posse senes, & ętate prouectos homines, ab omni errato & culpa cohercere: diligenter uidendum est patri, ut ad regendam & gubernandam lubricam ætatem filij*

multum

multum æquitatis & patientię afferat, acute'q; dispiciat, siquid sit commissum uirtuti alienum, atque officiorum id ex eo genere crimen sit, quod ad bonum morem corrumpendum ualeat, an quod ab ætatis & adolescentię quasi fermento quodam fuerit profectum, Horum nos criminum genera in præsentia non distinguimus, alienus enim de his disserendi est locus. Sed tamen sunt nonnulla, in quibus pater dissimulare & pati, & aliquid permittere adolescētiæ poterit, dum teneant illa aliquem modum, neq; habebit necesse omnia pro suo iure exequi, In quibusdam autem acrior, & uigilantior sit necesse est, nec patefieri aditum sinat ad ea insinuanda uitia, quę cum ætate postea accrescunt simul, indolem'q; statim ab initio, si inualuerint, uirtutis, mox & rem, & omnem bonam famam eijciunt: cuiusmodi aleæ, ganeo, atque impotentes illi amores sunt, quos tyrannos animi pręclare describit Plato. Ac in superiore quidem illo genere, quod mitius est, minus'q; periculosum, si euenerit ut non possit, aut ne debeat pater dissimulare, adhibeat filium, leniter'q; eū obiurget, suam de illo curam, solicitudinem'q;, & suum illi ipsi errorem detegens, oret, obtestetur, ut ne patris & propinquorum spem, suamq; ipse laudem speratæ, atq; exoptatę dignitatis cōtēdat ire perditū. Nec multa erunt opus, si rite ego cōiecto, & superiora prudentis disciplinæ præcepta constabunt: grauior erit patre improbator sui facti ipsemet filius, minusq; sibi ignoscet, magnoq; cum dolore feret preces & monita charissimi parentis. Sin autem (sed nollem tristius aliquid ominari, cum ī hac familia, &

in his

in his moribus nihil uideatur accidere posse secus, quàm uelimus) Sed *tamen siquid deterius fuerit factum, uehementer quidem agendum erit à patre, & uerbis grauioribus: non tamen usque eò, ut ad trucem illam iracundiam se rumpat, quae cum uocem uultum'que perturbet, gestus'que omnes impediat loquentis, nunquam non de grauitate detrahit, & spectato uiro semper indecora est.* Sed *imitabitur senem illum* Terentianum, *sat seuere, ut uidetur, obiurgantem filium.* Hem, *tibi ne hęc diutius licere speras facere me uiuo patre?* Amicam *ut habeas propè iam uxoris loco?* Erras, *si id credis, & me ignoras* Clinia. Ego *te meum esse dici tantisper uolo, dum quod te dignum est facies.* Sed *si id non facis:* Ego, *quod me in te sit facere dignum, inuenero.* Videntur *ista permotura quamuis corruptum filium: hoc magis si fuerint ab ea disciplina, & ex eiusmodi patris, qualem supra formauimus, ore prolata: cuius nullo exemplo in paternę culpae similitudinem filius deductus sit.* Erit *item remedio, si grauitas rei postulabit, ad quod tamen extremum decurri placet, si pater à filio uidebitur factus alienatior, nec eum amplius, ut consueuerat adhibebit, paulatim'que pristinam suam in illũ indulgentiam, & antea solitam restringet liberalitatem: uel enim proderunt ista, uel aliud erit agendum.* Verum *quod nos prohibemus in filio, ne eum pater uerberibus cędat, nec ingenuam naturam ad seruilem detrahat conditionem, id in seruo & operario homine facile permittimus: cuius ea sit natura, quemadmodum de Phryge ue tus prouerbium est, ut plagis fiat melior: quod etiam erit*

studio

studiosius faciendum, si quod peccatum in filio ægrè ferat pater, id contingat in seruo delicto simili ut sit puniendum: ut omnibus modis intelligat filius, mentem ab sese patris, quandiu ipse illiusmodi fuerit, & à similibus factis uehementer abhorrere. Verum hęc nos uaticinamur, & nequicquam tanquam accidere possint pertimescimus: à quibus omnis natura abhorret, non enim nec suspicandum quidem est, quos talis aluerit, instituerit'q; disciplina, & ad rectum iter uirtutis induxerit, ut eorum possit natura & uoluntas ad praua studia conuerti. Reliquũ *illud tantum uidebit pater, & in eo quidem intendet animum curiosius, ut perspiciat, & animaduertat cuiusmodi sint qui de familia aut ex iuuentute, multa familiaritate atq; usu adhærebunt filio: uigilandum est semper, multæ sunt insidiæ bonis nostris, inquit,* Ennius: *& profecto uix datur spatium diligenti patri ullius capiendæ quietis. Sed ut illis solicitudinibus & curis, si bene locatæ sint, nihil fieri possit dulcius.* Ac *de familia quidem breue præceptum est (quanquam sui cuiq; domestici debent esse noti) ut omnes æqualiter colant, honorent'q; filium, & aliquid mandanti dicto audientes sint: quotidianum autem obsequium, & cultum circa eum hi gerant, qui sunt nominatum præfecti à patre. Siquis uero extra ordinem insinuare sese in comitatum & consuetudinem nimis studeat, is tanquam aliquid malitiose cogitans repellatur.* In *iuuentute maius periculum est, nam & maior sæpe in magna copia sodalium dissimilitudo inest morum, & sunt inter eos aliqui natu grandiores, uel etiam annis longius prouecti, qui*

D

sti,q̃ ex illa ætate simplici atq; lubrica uarijs suis cupiditatibus pastum quęrunt, quorũ in primis pernitiosa ingenuis moribus est consuetudo: qui quidem omni & sono & strepitu, tanquam insidiosæ aues, ab grege mansuetarum perterrendi sunt. Iuuenem *autem à iuuenum æqualium congressu, & consuetudine arcere ęquum non est.* Igitur *ad omnia huiusmodi pericula remedium iam antiquitus usitatum, pędagogorum cura atq; industria: qui cum assidui comites sint adolescentibus, continent in officio, & aliquid praue cœptãtibus, obuiã eunt: quos maxime probatos, & sibi fideles eligere debet pater.* Sed *etsi horũ studiũ ac diligentia nonnihil aliquando proficit, nullum tamen fortius est in adolescẽtibus uirtutis pręsidiũ, quàm pudor de quo ante diximus, & illa ordine directa ac sibi bene constans disciplina familiaris, patrisq; in primis sapientia & grauitas, quam cum usu quotidiano imbiberit filius, exemploq; illo domestico & pręceptis patrijs imbutus, pręclaras decori honestiq; imagines, quæ in animo illius penitus insederint, detulerit secum in forum, & se cum cęterorum moribus studijsq; composuerit, tum incipiet notare atq; discernere, quid inter se atq; eos intersit, qui nequaquam simili à disciplina profecti sunt: nec tantum habuerunt* Deorum *immortalium beneficium.* Tunc *suis fortunis gratulabitur, gaudebitq; experiri, & quotidie aliquid agere ex illo ingenuo more atq; modo, cuius fructum percipiet non solum in animo suo lętitiam, sed ab æqualibus honorem, & à senibus admirationem, ab uniuersis insignem quandam beneuolentiam: eoq; uelut stimulo*

mulo amoris et laudis ad ulteriora semp incitatus, fiet quotidie in omni bona parte usu cõfirmatior, benignitatemq; in primis exercebit, iuuabit quos poterit, oĩbus erit comis, molestus nemini: probos & bonos arctiore sibi uinculo familiaritatis adiunget, reliquos non aspernabitur: ita aget dicetq; oĩa, ut in uerbis & in factis existat dignitas, non se uera illa & grauis, quę maioribus natu consentanea est, sed quæ cum hilaritate modestiaq; coniuncta maxime deceat adolescentiam. Deniq; oẽm illam *paternæ uirtutis ac dignitatis, optimorumq; morum similitudinem nõdum planè robustam, sed ueluti cum ætate secum unà pubescẽtem, in cœtum æqualium & comitum suorũ domo transferet, ut multi, qui intuebuntur ex eodem loco, eademq; ætate, quosq; illa egregia & puerusta species uirtutis cõmouerit, uideantur fore eo animo, ut conentur imitari: ex quo potest coniectura capi, quantũ ciuitati & toti reipub. euenturum sit boni, si hęc rectè instituendæ adolescentię disciplina aliquando publicè coletur, cũ unius interdum exemplo intelligamus cunctam penè iuuentutem ad imitationem uirtutis facilè accendi posse.* PAVLVS. *Ita afficior mi pater, cum te hæc audio loquentem, ut lætitiam meam ipse uix feram: quippe qui* Dei *immortalis maximo dono adeptus sum, ut & hac uolun tatead consectandam uirtutem, & in hac disciplina alitus essem, ex qua fructus iam aliquos capere incipio ex ijs, qui à te modo numerati sunt: sed cum in hunc uitæ statũ & uirtutis usum pductus est adolescẽs, quid nã quęso illi amplius deest, quominus felix sit ac beatus?* IA. *To*

tum id Paule*, quod est maxime necessarium, uirtus ipsa uidelicet, cuius umbram rectum esse morem iam toties diximus: nobis uero uestigandum & tenendum corpus est, ne tanquam in somno uisis inanibus decepti, sed uigilantes, & re uera summi boni efficiamur compotes.* PAV. Iam *intelligo te uelle philosophiam dicere.* IA. *Volo inquam uero: illa enim est una, sine qua nullius hominis uita (diuinam semper excipio sortem) suopte certe ipsa consilio, nec sapiens unquam, nec beata esse potest.* PAV. Cur *igitur non quamprimum ad illam tertiam partem nostræ institutionis tendimus? in qua, ut arbitror, philosophia ipsa inest: cuius tota est, ut dicis, uirtutis expolitio.* Et *si enim me summopere hæc delectant, quę dicta sunt & dicuntur, tamen ad ipsum fontem & caput omnium uirtutum cupio accedere.* IA. *Vnum etiam restat* Paule*, de quo à nobis aliquid dicendum est, quod cum honore atque utilitate primarium sit, propter quandam tamen opportunitatem in oratione à nobis factum est postremum: nullum enim adhuc uerbum de ueritate fecimus. At ea est præcipua non solum bene moratę, sed etiam uere beatæ & sapientis uitæ procreatrix, sine qua nihil neque probum, neque prudens, neque liberale, neque magnificum uere potest existere. Quis enim mentiri & fallere non dico assuefactus (monstrum enim illud hominis potius quàm homo est) sed uel paululum modo inducens animum, licere aliud sentire aliquando, aliud loqui, & habere linguam à corde discrepantem, in numero eorum ponendus est, in quibus spes à nobis futurę eximię dignitatis constituatur?*

PAV.

PAV. *Videtur uero repudiandus quisquis ille est : nec mihi uenerat in mentem, cum tamen iam quotidie magis ex te, & in* Aristotele *ipso, quem te hortante ac pręmonstrante in manibus habeo, possim incipere nosse hoc tantum & tam eximium bonum ueritatis. Sed cur de ea mentionem in hoc extremo, ut tute inquis, loco faciendam tibi reseruaueris, id ego audire ex te expeto.* IA. *Quia anceps est in utranque partem & cum in omne genus doctrinæ scientiæq; diffusa, tum ad bonum morem etiam pertinens : quoniam autem de more, & disciplina domestica, qua in primis assuefaciendus ad omnia recta & honesta est adolescens, dictum à nobis fuit : non quin plura alia possint dici, sed quia hæc futura sunt satis.* Nunc *autem ad ea tendimus, quæ non tam consuetudinis, quàm certi consilij, & suapte scientia ac ratione directæ uoluntatis sunt: ueritatem in utroque genere instituendi pręcipuã & primas ferentem parteis, in hoc potissimum loco constituimus, ut cum una eademq; dominetur utrobique, una quoque & morale illud ac modestum facileq; monenti recte obtemperans cogat agmen, & hęc sapiens eruditumq; ducat.* PAV. *Quasi ueritatem uinculum dicas, quo ambo genera ista contineantur.* IA. *Immo lumen, à quo ambo & creantur & illustrantur, hoc quidem diurno sydere tanto potentius, quòd sol iste oculis, ueritas mentibus lucem & diem affert, atque hic facit ut res, quales sunt, tales etiam cernantur: illa, ut quod sunt, id illud ipsum sint. Sed hoc lumen & propriè & proximè philosophia ipsa sectatur: omnemq; suam curam, omnem operam studiumq;*

 impendit

impendit in eo, ut huius luminis percipienda ueritate fiat compos, quod cum apprehenderit, summá; & proprium tenuerit, iam ipsa in luce & in ueritate habitans, attollit in altũ circũcirca errantibus, ut cõmunicatione lucis illi admoniti, minus ruant in tenebris, minus perturbentur: in quo maximus est concursus omnium mortalium, maxima uarietas: hi enim quanquam luminis aliqua ex parte participes, umbris tamen plurimis impediti atq; impliciti, quæ quò longius absunt ab editiore lumine, hoc uolitant maiores, sæpissime falluntur in eo, quod appetunt, & pro bonis mala amplectuntur: cumá; se pedem tutò ponere existimauerint, labuntur præcipites: hoc lumen, quod est sua cuiq; ratio, certissimis scientijs ac doctrinis illuminata, & sibi ipsa in omni consilio actioneá; prægrediens, neq; alieno indigens ductu, philosophia ipsa continet: ad quam quod sit rectum iter tertia mox nostræ institutionis pars indicabit. Sed *ut in hoc lumine summe & maxime ueritas est, sic in illo genere posteriore uirtutis, quod disciplina & monitis diximus cõparari, queẽadmodũ luminis, ita & ueritatis radius quidam inest: non principẽ, sed accersitam insinuans lucem.* De *quo nobis restabat aliquid dicendum, antequam de moribus & disciplina sermonem totum compleremus:* Ideo*á; seruauimus in hunc locum, ut à radio ad lumen, & ad ueritatem ipsam à ueritatis simulachro propinquus transitus foret.* PAV. Commode *sanè & ita fuit faciendum.* Sed *quis est, qui ista considerans, non ad amorem & studium philosophię totus rapiatur?* IA. *Deberet hoc quidem ita esse: sed*

tamen

tamen non desunt Paule, qui illam contemnant, atque adeo uituperent, & in inuidiam ad populum adducant. P A V. *Iniquos homines narras: estq; propterea iandudum à te suscepta philosophiæ defensio aduersus uituperatores huiusmodi, quam ut perficias, atq; aliquando edas, cum alij sæpe multi, tum uero duo doctissimi & tibi amicissimi homines* Paulus Iouius, & Lazarus Bonamicus *te quotidie flagitant: quorum de uirtute & doctrina quid sentias crebro ex te audire soleo.* IA. *Quidni audias de hominibus cum amantissimis nostri, tum dignissimis ipsis, qui ab omnibus amentur, quorum magnum in utroque nostræ ætati positum est decus.* Nam Iouius *non solum medicinæ scientia, in qua excellit, tam cognitione artis, quàm utilitate ex ea & obsequio erga amicos, uerum omnibus ingenuis & liberalibus disciplinis instructus, in primisq; eloquentia, & dicendi genere quodam magnifico contulit se ad scribendam historiã, in qua ueterum optimorum scriptorum & fidem & gloriam in nostram ætatem refert.* Lazari *uero in* Latinis & Græcis *literis, præsertimq; in hac, de qua loquitur, philosophia, tanta est eruditio, eaq; prestantis ingenij uis, ut ipsum cum audimus, nullius ex antiquis aut nouis doctoribus, aut scientiam maiorem, aut copiam requiramus: quod quidem in eo speciosius existit, quod ita uiuit, & ita factus ipse est, ut in oĩ uirtutis & humanitatis officio, philosophiam habuisse uideatur nõ dicendi magistram, sed faciendi. Quibus quidem ambobus hoc quod dicis à me desiderantibus, quippiã negare esse arbitror nefas. Sed qui*

D 4 *scit an*

ſcit an diuino quodam conſilio hic illi noſter dialogus forte prępoſitus fuerit. PAV. *Quid ita?* IA. *Vt per gradus, & uelut planiore uia, ab his pręceptis, & recte cõſuescendi diſciplina, ad illa altiora philoſophię conſilia, & ipſum apicem uirtutis aſcendatur.* PAV. *Veriſimile hoc quidem, nam & bene cogitantibus ſemper adeſt* Deus. IA. Redeamus Paule *ad patrem illã ueritatis, quã moralis huius diſciplinæ eſſe diximus, aut potius quò melius hęc ueritatis diuiſio intelligatur, ſic agamus.* PAV. *Quo pacto?* IA. *Falſum natura quædam eſt maxime contraria & inimica ueritati.* PAV. *Ita eſt.* IA. *Huius partes ſunt duæ.* PAV. *Quæ?* IA. *Vna pars cernitur in eo, cum ipſi nosmetipſos decipimus, & praua aliqua opinione inducti, aut captioſis rationibus argumentisq; conſtricti, quæ cum aliquam cupiditatem ualentem in nobis ſuffragatricem nacta ſunt, maximam habent uim ad mouendum & perſuadendum, ſcire nos arbitramur quod nequaquam ſcimus, hæremusq; in eo, & reſtamus confidenter: quod accidit, cum uel id quod eſt, non eſſe, uel quod non eſt, eſſe, aut cuius eſt generis, rationis, qualitatis, efficientiæ, id non illius, ſed alterius modi eſſe ſuſcipimus.* PAV. *Intelligo.* IA. *Hoc falſum* Paule *quod eſt erroris mẽdacij, & totius ignorãtię caput,* Dijs *mediusfidius et hoĩbus eſt inimiciſſimũ, q̃q̃ in diuinã naturã non cadit falſitas, neq; error: uerũtamen tanquam è regione illi ſempiternæ ueritati oppoſitum, non ſolum hominum mentes quotidie, ſed & illas cæleſtes, & incorporeas potuit olim peruertere: nec uero grauiore ullo malo, acerbiore atq; exitioſiore*

tiosiore alia ulla peste uita nostra conflictatur & perturbata est, quàm huius labe ignorantiæ, quæ sibi ipsa scientia esse uideatur: hinc superbia, hinc contumacia, hinc illa immoderata atque infinita cupiditas, hinc nimius sui ipsius amor, & iuris atque iniuriæ parum æqua descriptio: ex qua deinde illa inuitam tot incommoda dimanát, iræ, inimicitię, bella, cædes, urbium & nationum funditus euersiones, uniuscuiusque secum, non solú aduersus alios, semper ferè dissensio, & cum popularibus, cum ciuibus, cum affinibus, cum cognatis grauis sępe discordia: denique omnis hominum ad homines societas, quæ naturæ fœdere ipso & conciliata & sancta est, huius tanti pernicie mali iandudum uiolata, conuulsa, & in totum penè dissipata est. P A V. *Magnum incommodum prædicas ignorantię, mi pater.* I A. *Quid mirum, cum illa lumen animi nostri mentem ipsam extinguat, & falsis per suasionibus tanquam clauis excæcet, si erroris & temeritatis & uariarum offensionum plena sint omnia. Sed hoc tantum malum sola philosophia se ablaturam esse pollicetur: idq́; adeo pręstat, si rite tractetur, sitq́; ad* Deum *& summum rerum omnium bonum tota cum fide & religione conuersa. Quod nobis uerum* Deum *& filium* Dei *colentibus, unis assequi diuinitus est concessum.* P A V. *Sanè præclarum est hoc & philosophiæ, &* Christianæ *religionis donum.* I A. *Res ipsa indicio fuit ita esse, sicut dicis* Paule*: Sed quoniam non est huius temporis insistere in his diutius, ad alteram partem falsi, quo de agimus, accedamus.* P A V. *Equidem te in his morari diu uellem:*

uellem: nec est quicquam, quod audiam iucundius, rursusq́; philosophiæ amore incendor. Sed uereor ne mea ignorantia mihi quoque ad illam adipiscendam impedimento sit. I A. *Nequaquam* Paule, *nec tu istam ignorantiam pertimueris, quæ ad discendum, & accipiendum parata est, tanquam uacua domus & patens, utq́; honesta supellectile instruatur expectans. Illam tu mihi ignorantiam præsta ut caueas, quæ falsis opinionibus referta, in eisq́; pertinax, cum orichalcum pro auro ipso amplexa fuerit, ueras amplius opes nil moratur: aderit tempus, uel potius adest, cum explebis cupiditatem istam tuam, & nobilissimorum amorum fies compos: quorum iam gustum aliquem ex* Ethicis Aristotelis, *ad quę pauloante es ingressus, percipere potes.* P A V. *Sic faxit ille summus nostri generis conditor, idemq́; post eiusdem per unigenum filium suum contaminati & perditi liberator effectus, cui me tota mente atque omni corde deuoueo.* I A. *Atqui hoc sentire & sic facere* Paule, *& prima & summa est philosophiæ ueritas.* Nunc *attende de altero illo falso quid rei sit.* P A V. Dic *modo.* I A. Hoc *falsum tanquam uirgultum & propago ab illius prioris falsi radice proueniens, consistis in eo, siquis non se ipse fallens nec mentiens sibi ipsi, sed callidus & gnarus apprime, quid agatur, alterum uelit circumuenire & fallere, ut in errorem inducat, ut aliud illi pro alio obijciens, longe eum abducat & dimoueat à uero: icirco autē proficiscitur à primo hoc alterū falsum, quod nequaquam*

circum-

circumuenire & fraude irretire alterum conaretur quispiā, nisi esset ipse prius praua illa opinione captus & circumuentus quęrendum esse quoquomodo auaritię, libidini, aut cuiqꝫ cupiditati pastum. Sed hęc consuetudo atqꝫ exercitatio fallendi alterum, & mentiendi, ys, quibus hodie uiuitur moribus, sic in omnes ferè uitę sectas ac quotidiana uitæ officia effusa est & dimanauit, ut angustum admodum inter homines locum ueritati & fidei reliquisse uideatur. PAV. Fertur uulgo quidem ita se rem habere. IA. Quid ni feratur quod extat ante oculos, quod eminet. Quis enim est uel paulum modo in hęc communis uitę studia ingressus, qui commercia hominum inter ipsos uiderit, qua fide gerantur, non intelligat quemadmodum gladio in prę lijs milites ad deijciendum capiundum'ue hostem, sic fraude plurimum & mendacio uti homines, qui quidem malitię quasi gladius est; ad proximum constringendum, ut supplantato altero, ad sua quisqꝫ optata facilius perueniat. Sed quamuis desueta iam hisce moribus ac temporibus, quamuis neglecta atque posthabita, tamen quo rarior, hoc clarior est & pretiosior fidei possessio, Licet qui uafri sunt, astuti, uersipelles, cuiuis pretij homines ducantur, his'que à populo plaudatur interdum, & qui callide circumuenire aliquem, aut lepide norunt imponere alicui, omnia'que ad gratiam & ad uoluptatem agere, in aulis etiam principum, magni habeantur: tamen nec unquam tuta, & semper ipsis turpis, alijs etiam pernitiosa horum est ratio uitę, atqꝫ exercitatio: nihil enim potest esse decorum neque splendidum, neqꝫ

idem sibi fidens, aut sat munitum aduersus casum, atque fortunam, unde absit ueritas, quę cuius insedit in animo, & sancto cum illo fœdere copulata, omnium eius dictorum atq; factorum sit particeps, admirabilem quandam illi authoritatem et speciem præbet inter homines, tanquã mortalis Dei. Debet igitur pater huius posterioris falsi (quando ad illud maius, quod à philosophia ipsa depellitur, ętas adhuc non est adolescentis) culpam omnem & labem à filio propulsare: monereq; & pręcipere diligenter, ut ne unquam inducat animum aliud sentire intus, aliud loqui. Sed in puero facilis est pręceptio, neq; enim multum malitia illa ętas peccat: cum adolescente iam facto, accuratius est insistendũ, ut animaduertat, sibiq; persuasum habeat, neq; uirtutis um, neq; exẽplũ optimi moris, nec uero honorem illũ qui ab ęqualibus expetitur, nec dignitatem, ad quàm oĩa consilia diriguntur, sine fide & integritate cuiquam constare posse: ut assuescat abhorrere à mendacio, & linguam habeat semper cordi consonantem: nec solum in uerbis & sermonibus ad alterum, recta, uera, simplicia discat loqui: sed in consilijs & factis nihil fictum, nec fallax, nec simulatum habeat: quò enim facta uerbis potiora sunt, hoc magis in iis quàm illis mentiri decipereq; est dedecorosum: mentiuntur autem qui uersutiloquis (ut ille ait) malitijs, honestam speciem uirtutis parũ honestę prętendunt cupiditati, neq; ad ueritatem referunt, neq; quia ita decet, neq; quia ita rectũ est, sed inclinant et uergunt ad alterũ aliquẽ finem: qua quidẽ ementita uirtute nullum uitium est monstrosius. Atq; horum quidem illa

obstructio

obstructio simulationis neque diuturna est, & ab cautioribus statim perspicitur, dant enim manus, oculi, uultus, celeriter aliqua signa: nec unquam usque eò occuli & abscondi potest ueritas, ut non emergat aliqua, atque appareat: ubi uero deprehensi sunt, & persona detracta producti in publicum, maiore in uituperatione ignominiaq; uersantur, quàm si uitium palàm ex initio fuissent professi. Atqui *ex fide bona adolescens studuerit uirtuti, decusq; & ornamentum uitę à ueritate sibi duxerit, nullum unquam locum simulationi & mendacio in moribus suis esse sinet: nisi ioci interdum causa: cum non fraus fuerit, sed lusus, atque id tamen parce & molliter, ut ne lędat eum cui uult illudere: scite enim & apte scire hoc agere, condimentum est nonnunquam sodalitij & familiaritatis: nec nos austerum, aut tetricum, aut difficilem esse adolescentem uolumus, sed hilarem, & comem, descendentem ad omnia, quę illa ętas natura fert, modestiam tamen & mediocritatem secum deferentem.* In eandem quoque *mendacij & simulationis affinitatem transit imitatio: quid enim aliud est imitari, quàm capere similitudinem eius quod non sis?* Sed *hoc si fiat in eam partem, ut effingas imitando quę recta honestaq; sunt, ut si eius gestum uultumq; imitere, qui dolorem corporis fortiter tulit, aut in uoluptate fuit temperans, aut amissam iam aciem restituit, referas eum uoce, motu, corpore, laudabilis est imitatio, nec ueritatem reijciens illa, sed aduocans: quemadmodum etiam nostra hęc, de qua disseruimus, probata domi disciplina, uerę uirtutis dicta est imitatio.* Si uero *imitationem conuerteris ad deteriora,*

ad deteriora, & aliquos mimorum motus, uultusq; scurrarum, eorumq; dicta & facta, captandi risus gratia, uolueris imitari: nihil est hoc genere ludendi illiberalius, nec quod pudori & modestiæ magis contrarium sit: extremæ enim impudentię est, adde etiam si uis stultitiæ ac leuitatis, uelle deridiculum esse: nec aliquid bonæ indolis residere in eo potest, qui id agit ipse ut rideatur. Sed ut hoc turpe & sordidum lusionis genus reijcimus, sic multas relinquimus adolescenti lætitiæ & hilaritatis uias. Decet enim adolescentem, hunc quem nos instituimus, ita studere præstare cęteris in omni ornamento honoreq; uirtutis, ut ad illa, quæ sunt adolescentium communia, cum paribus suis æqualiter se dedat: currere, saltare, ludere, eos uticp lusus, quibus corpus exercetur. choreas ducere interdum, conuiuium habere, cachinnari aliquando liberius, iocis & dictis hilaritatem accersere, sed ut seruet in his quem sępius diximus modum, in quo ipso inest id, quod decet: quod non erit illi difficile notare ab illis patrijs institutis, disciplinaq; domestica: per quam sensim illa diuina decori species moribus eius addita & insinuata fuerit. Consequetur autem ex his, ut cum propter facilitatem, humanitatem, comitatemq; naturæ plurimum eum sui ęquales diligant, tum uero propter uirtutem, integritatem, elegantiam morum, etiam cum quadã illum admiratione uenerentur: summamq; habeant illi omnium rerum fidem, & propè uoluntarij illius sese imperio subijciant, multi etiam ut studeant imitari: & quidem omnes ferè ex quotidiana consuetudine atcp usu, aliqua

qua ex illo uirtutis lineamenta in suos mores transferent: nonnulli uero accedent propius, et similes fieri conabuntur, ut quod alias diximus, & dicendum sæpius est, perfacile possit iudicari, quantum sit bonum euenturum ciuitati, primum si puerorum recta educatio publice excolatur: Deinde *ab unius sæpe bene instituti adolescentis imitatione atq; exemplo. quod potuisti modo in te expertus commode existimare* Paule, *cum enim in te unum spectet iuuentus nostræ ciuitatis, cunctaq; sese ad te appliceat, & familiaritate tua maiorem in modum gaudeat, potuisti reprimere paulo ante maledicentiam, quæ increbuerat in iuuentute tam prompte de altero & tam libenter detrahendi: à quo more cum pro natura tua abhorrens ipse, comiter ab iis petijsses ut abstinerent, facta est iuuentus tua opera modestior.* PAV. *Equidem quid egerim nescio, nec si quid etiam ago, id mihi pater tribuendum est, sed tibi: ueruntamen illud & cognosco & fateor, plurimum in eo fore ornamenti & commodi ciuitati, si iuuentus bene instituta sit: quod ut contingat, utinam ea omnes, quam tu mihi modo præscripsisti utantur disciplina: quicunq; ille quidem extiterit sic educatus atq; alitus, hic maximum habiturus est profecto* Deorum *immortalium erga se beneuolentiæ testimonium.* I A. *Nimirum ita est* Paule, *orandusq; Deus, ut quamplurimos uelit suæ huius benignitatis esse participes.* Verum *nos hoc transacto bonorum morum & disciplinæ rectæ curriculo, rursus alium cursum ueluti reprehendentes ad caput et pueritiæ principia iam tertio redeamus.*

PAV.

PAV. *Nempe ut quę literarum iam & doctrinę sunt, artiumq́; earum quas uocamus optimas, eorum ornatu & ordine instituas adolescentiam?* IA. *Nę: atq; ut ubi uera residet uirtus, non ubi imitatio agitur uirtutis, eam illuc deducamus.* PAV. *A Dijs penatibus ad Apollinis & musarum uidelicet.* IA. *quid si ad eam sapientiam potius, quę è capite patris prognata, & eodem amoris spiritu cum patre ipso nexa atque concors, ad omnem mortalium illustrandá uitam olim egressa est, et cum nihilominus permaneret in patre, ad nos se contulit, ut abiectos humi, & nil sublime meditantes, ad cœlestium bonorum, & certam immortalitatis spem excitaret? huic enim debetur quodcunq; perfectum est, quod in trinitate potissime est spectandum.* PAV. *Sic quidem oppido melius, sed ego latino more locutus sum.* IA. *quod quidem ego minime reprehenderim* Paule: *dare enim aliquid stilo & consuetudini eius linguę, in qua uelis loqui, concessum sanè est: Sicut & nos ubi de diuinis nominatim non agitur, figuras illas & modos* Latinę *dictionis ad illuminandam orationem non inuiti adsciscimus: ut meherc ule interdum dicamus medius fidius,* Deos *etiam immortales plurium numero nonnunquam proferimus, non sensum ex his uerbis ullum, sed sonum duntaxat quęrentes, atq; ut splendidior & fortior, nec abhorrens ab ipsa antiquitate procedat oratio: quando ea quidem suis ornata atq; instructa dotibus, ad docendum quid uerum, sanctum, rectum'q; sit, & ad impellendum in id quod conueniat agi, maius multo pondus & maiorem quandá uim affert.* PAV. *Na uiter*

uiter studendum est igitur orationi, & stilo, ut te intelligo loqui. IA. Et maxime quidem si quid agere aut perficere uis quod sit egregium: nam philosophia, & quam prę cæpue quærimus, uirtus ac sapientia, si tibi tecum uiuēdū esset soli, forsitan se una contenta foret, neq; requireret quicquā amplius. Cum uero tibi in cœtu hominum, & cum plurimis uiuendum sit, omniumq; studiorum, utilitatum, officiorūq; & tuorum cum illis & illorum tecum communicatio facienda, ad hanc humanę uitæ societatem apte commodeq; gerendam, nullum instrumentum est oratione prestantius. Itaq; et facio sępe, & facturus sum: ut te adhorter in primis ad hæc studia, quibus dicendi egregia & prestans ratio comparatur: hoc etiam studiosius quod me quātum proficias, & quid mihi spei præbeas nil pœnitet. PAV. Faciam equidem quod meum est, ut labore & diligentia tibi satisfaciam mi pater: q̄tum uero effici per me possit, totum tuo iudicio permittā. IA. Dabitur hac in re opa ab utroq; nostrum Paule, ut recte sit. Sed nos aliud initiū nostri sermonis facientes, redeamus ad eandē pueritiā de qua totiēs iam iterauimus loqui: ut eam alio quodam itinere, alia semita ad indagandum melius uirtutem deducamus: nam quæ adhuc de uirtute dicta sunt, & si uerissima ea sunt, creduntur tamen à iuuene, non intelliguntur. Hic autem tertius quasi actus nostræ deductionis reliquis perfectior, in eum locum adducet adolescētiam, unde nō alienos imitari gressus, sed ipsamet cernere quo & qua uadendum sibi sit tanquam è specula poterit, suiq; erit consilij domina & uoluntatis. Igitur puerum ut primum fari commode, &

uerba diserte proloqui poterit, aliquosq; ingenij cœperit igniculos iacere pueriles, studiose inducat pater in opinionem & desiderium addiscendarum literarum: quod per quam apte fiet, si accersendis maiusculis pueris, qui iam aliquantum in legendo profecerint, & illis auscultandis, laudauerit præsente filio recte recitantes, exosculatusq; fuerit, aliquid etiam dederit muneris ac præmij: mouebitur enim animus filij ad eadem æmulanda studia, in quibus alterum sic probari perspexerit: ipseq; ultrò petet, ipse flagitabit easdem sibi tabellas, & eandem exercitationem dari. quæ dandæ erunt, cum ornatæ ipsæ & concinnæ per sese, tum illustribus scriptę literis, ut omnibus rebus, quibus capi potest illa ætas, ad amorem & cupiditatem legendi perliciatur. Semper enim prouidendum diligenter est, ut literarum desiderium ita antecedat in puero, ut nunquam satietas nimia consequatur. Sed etsi pater eiusmodi sit, ut omnibus ipse optimis artibus literisq; eruditus, docere possit filium, & præclare eum in omni doctrinæ genere instituere, censuerim tamen idoneum illi magistrum esse eligendum, qui huic uni uacet negocio, nullaq; omnino re alia, neq; occupatione teneatur. Sed sit in hanc curam erudiendi filij totus intentus, à qua patremfamilias, tam forensibus quàm domesticis negocijs necesse est auocari: hanc nostram de adsciscendo liberis magistro sententiam M. Cicero comprobat, qui cum ea esset ingenij, literarum & omnis scientię gloria, ut locupletasse ipse & ornasse potius eloquentiam, quàm ulla ab ea ornamenta sumpsisse uideretur, in eru=

diendo tamen filio alienis magistris usus est: uerum hoc, quod facile est præceptu atque imperatu, re ipsa & experiundo uehementer fit difficile. Rari enim sunt, utinam'que adeo rari isti, aliqui tamen essent, qui comprehendissent animo, quid sit uere sapere, & uinculum illud, quo omnes humanitatis artes inter se continentur, ad cuius unius sapientię spem & alimus & constituimus filium, quale sit tenerent: neque ij aut ostentandi sui causa, aut lucrificiendi, aut popularis aurę colligendæ, ad singulas addiscendas sese dederent artes: si tamen addiscere est ignorare, quem ad finem percipiendum sit quod addiscas. Sed quoniam de hoc errore uulgato & propè cõmuni in nostro de laudibus philosophię libro satis est dictum, & alibi sæpe dicetur, reuertamur ad puerum eum, quem in manibus habemus, magistrumq; illi præficiamus è literario ludo, cuius mores probati sint, & diligentia in docendo cognita: qui ita quotidianum pensum legendi & scribendi à puero exigat, ut nulla in re sit asper, nec minis, aut uiolentia utatur: summopere enim cauendum est, ne eas literas odisse incipiat puer, quas nondum potest ipsarum causa diligere: spe ille potius & laude prouocandus est, interdumq; ex pacto agendum, ut cum plures horas sibi ipse sumpserit ad pueriles obeundos lusus, unã aliquam præbeat magistro. Legendi ergo & scribendi prima pręceptio est pueritiæ, & primum rudimẽtũ: quod prompte & celeriter facere debet puer, ac sine ulla dubitatione uel minima nosse literas, uel ipsas ꝑ sese, uel in syllabis dictionibusq; coniunctas: nec nosse solum sed pro

nuntiare commode sono uocis simplici rectoq;, literis neque oppressis nimium, neque expressis: itemq; perlegere cursim quicquid scriptum oblatum fuerit: idq; & prorsus & rursus retro contra'q; reuoluere: hæc enim quamuis minima uidentur, tamen quoniam fundamenta sunt cæterorum, firmius sunt statuenda, immorandum'q; in his aliquanto diutius, quoad planè resideant, atque comprehendant. quod autem de literis, uel de literarum potius elementis ac notis dictum est, non de latinis tantum, sed de Græcis quoque uolumus intelligi: harum enim utranq; linguarum ab eo uolumus addisci, qui ad eximiam spem summę uirtutis alatur: utriusq; enim maximi & doctissimi autores sunt, omnia'q; doctrinarum genera in utraq; egregie sunt tradita: tum autem prudentiæ, sapientiæ, eloquentiæ utrobiq; summa uis, & ita nexa inter se, ac mutuo se continens, ut qui alteram sine altera perceperit, debile quiddam & mancum esse adeptus uideatur. Ad utranq; igitur & Græcam & Latinam orationem legendis & scribendis literis statim de principio imbuendus est puer: in quo illud primum admodum occurrit laudabile, quod est in more positum, ut simul cum literarum notis, elementa quoque Christianæ religionis in puero insinuentur (nam ut dictum est, nec uirtus, nec doctrina, nec spes honestæ aut beatæ agendæ uitæ ulla est, qua non pertinet, nec comes est religio): graues'q; tum sententię summorum autorum proponendæ illi sunt, ad sanctitatem uitæ, & ad exemplum fugiendarum aut expetendarum rerum pertinentes, quas animus tener bene

appre-

apprehendat, deferatq́; secum in omnem posteriorem uitam. Sed hanc consuetudinem legendi iam scribendiq́; familiariter sequitur continuo grammaticæ ars: cuius nomen ductum quidem à literis, tenuem uidetur habere appellationem, sed est eius facultas uberior: non literas enim solum, & nomina, uerbaq́;, ac reliquas omnes orationis partes, sed poetarum quoq; & oratorum cognitionem ita complectitur, & pertractat, ut paruum in ijs relinquere uideatur uelle alijs artibus quibusdam locum: quod meo est animo non tam grammaticæs proprium, quàm eorum, qui ad suam ex alijs generibus facultatem doctrinamq́; ostentandam, huius artis nomine abuti uoluerunt. Scripserunt enim de ea complures docti uiri, cum Græci, tum Latini: *sed alij alio modo, presse castigateq́; nonnulli, multi abundantius: nisi forte necessario credimus tria millia librorum amplius à* Didymo *in arte grammatica fuisse scripta.* Apollonius *in Græcis, &* Herodianus *probatiores: magnam laudem apud nostros meruit* Donatus, *& qui illum* Seruius *æmulatus est: tum deinde multi. Sed nostrum non est enumerare scriptores: potius illud uideamus, quomodo & quatenus grammatice tradenda puero est: neq; uim artis totam, sed captum ętatis illius consideremus: nam siqua sunt in illa arte difficilia & ardua, non tam necessarijs quàm subtilibus implicata disputationibus, rejciantur in id tempus, cum alijs pluribus disciplinis instructus adolescens, ocium conterere in huiusmodi quęstionibus poterit: quæ tunc ultrò sese illi offerent, & ex aliena quadam facultate acutius disceptabuntur: te-*

uerum quidem pueri animum onerare his difficultatibus, nullius consilij est. quid enim illi proderit nosse contro= uersiam, utrum participium sit pars orationis, an redigatur sub uerbo: & utrum uocabuli an nominis in rebus appellandis potior usus sit: & similia multa, quae ne intelligentibus quidem admodum usui esse possunt? Potius *mihi is ad illa aperte & simpliciter perdiscenda ducatur, quę necessariam habent utilitatem, ut literas distinguat, aliasq; nouerit uocales, quę purum ex se proferant sonum, alias consonantes, quae cum illis iunctę & compositae sonent, rursusq; ex consonantibus semiuocales, quarum sonus incipiat à uocali: caeteras mutas, in quibus uocalis sonus tantum desinit.* Intelligat *etiam bissonas, quas* διφθόγγους *Graeci, ex duabus uocalibus esse compositas: tum his adiungat omnibus pronunciationem congruam.* Ad *dictionum uero syluam ita traducatur, ut sine ulla ambiguitate addiscat octo illas peruulgatas orationis partes: quarum singularum proprietates, & quasi insignia quę= dam, debet cognoscere, ut sciat internosse: ut uerbi causa,* Nomen *esse quod rei naturam aut qualitatem denotet in suo statu manentem, idq; casibus deflecti, speciebus diuidi, numeris mutari, generibus uariari, figuris distingui.* Verbum *esse, quod rem in motu aliquo signet uel agendi uel patiendi, in quo pro casibus sunt temporum flexiones.* Participium, *quod affine utrique & uerbo & nomini: tempus & motum accipiat à uerbo in reliquis sequatur nomen.* Pronomen *uero, quod uicem praebeat nominis, in ijs nominibus scilicet, quę propria sunt, & certum per=*

tam personam aliquam indicant. Aduerbia porrò & prę-positiones illa, quod nisi uerbo adiuncta uim habent nullam, hę uel nominibus separatim appositæ, idq; ferè semper præeundo atq; antecædendo, unde nomen nactę sunt, uel etiam cum his & cum uerbis in compositione copulatę augent, uel minuunt, uel uertunt sensa eorum, quibus cũ componuntur. Cõiunctiones uero, quòd superiores quinq; partes orationis binas trinas ue adhęrescendo coniungant. Interiectiones è contrario, quod aursum & sensum clausulę interpungunt aliqua uoce humani affectus indice inter posita, quę habeat spem, lætitiam, metum, dolorem, alacritatem, admirationem, & similia quędam. Sed hęc, quę in puerili disciplina commodius traduntur, perstringenda tantũ modo nobis sunt, indicamus enim iter duntaxat, non disciplinam ipsam tradimus. Sequuntur flexiones quatuor primarum partium orationis, quarum tres casibus, uerbum ipsum temporibus tantum inclinatur, quę probè & penitus memorię mandandę sunt: earumq; uarietas facillime est & familiarissime discernenda: tum autem qui cuique uerbo casus subsequatur, quiue antecedat, hęc enim summa est meo quidem animo grammaticæ facultas, scire ita struere & contexere orationem casibus, numero, genere, tẽporibus, ut nihil sit perturbatum, nihil non concors, nihil non inter se apte cohęrens & consonum, quod tam in uersibus, quàm soluta oratione tenendum grammatico est: est enim & huius artis propria quãtitatis syllabarum notio, & quis cuique carmini pes conueniat, nam uerborum & nominum quę communi analogię præuaricata

ſunt, & diſcrepantes à conſimilium cæterorum ratione in duere formas, uſus & cognitio, non tam ſcrupuloſis anxijsq; præceptis, quàm ex bonorum autorum crebra lectio ne percipienda eſt: quod idem de rectè ſcribendi ſcientia, quę Grçcè orthographia eſt, dicimus: hanc enim onero ſam & difficilem pueris ad noſcendum, ſi per regulas prçceptaq; tradamus, aſſiduus legendi ſcribendiq; uſus melius confirmat, et in uniuerſum tota grāmaticæ ars plurimum communi conſuetudine loquendi, & ueterum doctorum autoritate nixa eſt: cuius extremum & finis eſt ſcire apte conſtruere, & coagmentare orationem ut nihil diſcors in ea, neque præpoſterum ſit: idq; tum proſa, tum carmine, in quo ſyllabarum præterea quantitas expendatur. Hoc *cum efficere poterit puer prompte & parate, atque ut in agendo nihil hęſitet, eſt enim propterea quòd hæc ars fundamentum eſt, & ueluti ſolum reliquarum artium, ut ſi ea debiliter comprehenſa ſit, omnem ſuperextructionem mutare oporteat, diligentius in ea elaborandum, optimè ut teneatur. Cum inquam fuerit hęc puero bene percepta, & cognita, tum audentius quicquid libuerit oneris eſt illi īponendū: nam & ipſe his nodoſis & minutis difficultatibus expeditus, quę laborē cū in puero nō mediocrē, delectationem habēt propemodū nullā, tanquam equus modo domitus geſtiet in campos procurrere liberiores, & ſuarum uirium, ſuiq; ingenij aliquod periculum facere.* Ita *quę ſequentur iam non laborioſa illi, ſed grata iucundaq; erunt.* Igitur *è ueſtigio ad exercitationes & prçcepta artis rhetoricę traducendus eſt: cui eadem*

quidem

quidem quę ipsi grammaticę subiecta est materia, nominũ & uerborum uidelicet, & omnis formandæ cōponendęq́; orationis, uerũ alio modo. Illa *enim, ut diximus, sat habet struere aptam inter se & congruentem personis temporibusq́; orationem, aut carmen suis pedibus & numeris integrũ componere, eoq́; functa officio quiescit, nec habet causam ulterius progrediendi.* Rhetorica *uero hoc quidē accipit ab illa, tanquam sibi necessariũ, sed nulla est in necessarijs dignitas.* Itaq; *sic excolit acceptum atq; exornat, ut illo apparatu instructuq́; orationis nihil fieri possit admirabilius.* Hac *de arte plura dicēda essem, quippe è qua tantum sit humanę uitę ornamentum, nisi in Cicerone pręclarissime expressa essent omnia: quem & meo hortatu, & uoluntate tua assiduum in manibus* Paule *geris: hic enim tibi & nunc, & postea, & semper legendus est: nec legendus solum, sed omnibus intimis sensibus & modis deuorãdus: nulla est enim laus prudētię, nullum lumen orationis, nulla sententiarum dignitas, nulla uerborũ, nullus in dicendo lepos, nullum acumen ingenij, nulla uis animi, quæ non in eo non dicam appareat atq; extet, uerum ita emineat, acrisq́; ad permouendum uehemensq́; sit, ut torrente quodã omnium suauitatum obruat sensus animosq́; legentium. Sed etsi in hoc uno oīa insunt, quę ad huius præclari generis facultatem uidentur esse requirenda: prętereaq́; & doctrinæ et sapientię maxima cum his coniuncta uis: tamen ubi te ad huius imitationem conformaueris, neq; colorem solũ, sed fucum etiã & habitum illius orationis fueris nactus: tum legendi cęteri quoq; tibi sunt authores* Latini, Grępciq; *tum*

tum oratores, tum etiam poetæ. Est enim huic ætati, in qua tu es Paule, & uero etiam consequenti magno ornamento simul & emolumento, uidere multorum ingenia atque scripta: quod & multa addiscũtur à multis, quæ ad usum & morum quotidie opportuna accidere possunt: & lectio uaria ac multiplex iudicandi uim prudentiamq; confirmat: quæ si in uno duntaxat genere uersetur, nec habeat qui cum quid comparet, non delectu ullo ad id se applicuisse, etiam si sit optimum, sed casu & fortuna in illud solum incidisse uideatur. At nos delectu uolumus & iudicio ualere uel maxime eius adolescentis naturam, de quo iandudũ insistimus loqui: quanquam non est adolescentiæ iudicare, uigere ingenio illi ætati potius conuenit: porrò autem ingenij est cum percipere celeriter id, quod tradatur, tum uero arrepto à demonstrante principio, præcurrere aliquantum, & ex paucis statim plura aliqua intelligere: quod quidem eximium, in primisq; optabile Deorum immortalium in nobis donum est: iudicandi autem ipsa uis, non tam celeritatem, quàm pondus habet, neque in præuidendo magis, quàm in circunspiciendo est posita: ex multis enim circumcirca sese offerentibus eligat illud oportet, quod maxime sit accommodum: quòd quidem fieri sine cõparatione plurium non potest: quam nobis probandi & adsciscendi potiora facultatem usus rerum multarum, & in hominum consilijs, fortuitisq; euentibus longa agitatio; in primisq; lectio erudita & uaria affert: neque tamen absque illo naturæ munere, quo bono ingenio præditi in lucem uenimus: nam si ingenium absit, pro nihilo cuncta sunt: ut naturam

ut naturam ubiq; præcipue dominari appareat. Sed etsi non est iudicatio propria adolescentiæ, eis tamen armis, & eo cultu comitatuq; rerum illa ornanda ætas est, ut cum maturum fuerit, acute queat & recte iudicare: in quo maximam partem literarum scientia adiuuabit, & cognitio uetustatis, & lectio quamplurima summorum probatissimorumq; authorum, quorum nemo est aspernandus ex ijs, quos iniuria temporum de multis reliquos nobis fecit: nec solum egregia utilitas, sed maxima quoq; delectatio ex illorum lectione uaria percipietur. Iuuabit cognosse ac mirari unà uim illam incredibilem uehementiamq; Demosthenis: cuius oratio sic sensis inter se, quasi hamis, conserta esse mihi uidetur, ut si literam unam tollas, seriem totam labare sit necesse: ita quidem est pugnax, ut semper uincere: ita plena ac referta, ut obruere: ita arguta, ut nunquam non decipere aduersarios possit: quàm crebra præterea in ea prædicatio antiquitatis, quî delectus uerborum ac sententiarum, quàm multę ad laudem & ad decus sumptæ ex tempore & ex causa cohortationes? ut merito huius unius principis in dicendo gloria Graię gentis eloquentia nitatur. Huius inimicus & in repub. aduersarius Aeschines toto genere omissior, canorum tamen habet quiddam & profluens. Subtilis Lysias & uerbis maxime proprius. Nam Isocratis eloquentiam probatam alioquin, nimię cócinnitates, & quædam quasi delitiæ, ut minus uideretur uirilis efficere. Horum et cęterorum, ut dico, crebra lectio non solum uoluptate afficit cognoscendis summorum hominum ingenijs ac dissimilitudinibu

litudinibu

litudinibus, sed auget etiam facultatem inter dissimilia et uaria genera diiudicandi. quod idem de rerũ gestarum scriptoribus est dicendum, quorum nostris meherale non minor est quàm Græcis aut elegantia aut copia: atq; in his aliquanto etiam expressius apparet, quod ad confirmandã prudentiam hominum pertinet: ueterum enim ducum, & eorum, qui in gubernatione rerum publicarum floruerunt cõsilijs actisq; perdiscendis, & quid cauendũ in uita, et quid sectandum sit ex euentis illorũ facile intelligitur. quid de Poetis dicam? quorũ cernis profecto & quę in utraq; lingua copia, & quanta non solũ ad demulcendos, uerũ etiam ad impellendos animos nostros uis sit: atq; hoc genus sanctum, & Dijs amabile semper habitum est: non enim tam studio humana'ue cogitatione, quàm spiritu quodam diuinitus inflati, uidentur illa effundere, quę sonis numerisq; constructa aures sensusq; corripiunt: & ad permiscendos animos nostros tanq̃ illiquefacta fundunturs: ut in quacunq; impulerint partem, non uideatur posse obsisti. quo etiam ex illa Platonis rep. quam is in libris perfectã condidit, poetę exire iussi sunt, ne si ad suum arbitrium, et quodcunq; eorũ animis libuisset scribere ac diuulgare agressi essent, quod in communi liberum erat Græcia, ciuium suorum mores facillime corrumperent: & re uera plus est in hac facultate momenti, quàm quisquam forte suspicetur, tum ad frangendos, atq; eneruandos uoluptate, aut cæteris permotionibus animos, tum rursus ad eosdem uirtute & constantia corroborandos. Sed quoniam hoc uidetur esse communis Musicę officium, cuius pars uel præcipua poeticę est, ea q; adeo fi-

des &

des & basis, qua tota ars Musica collocata est, & sustinetur, de ea est aliquid dicendum, siquid nobis uelimus hoc cursu & hac commemoratione artium ingenuarum, et quē ad finem contendamus prius exposuerimus. PAV. Equidem pendeo animi quo tu loco statuas esse Poetas, & illā Platonis sententiam pertimesco: sed tamen cum recordor me te authore cum illis uiuere iamdudū familiariter, eosq́; saeplus in manibus habere, consolor ipse me, nec uereor ut tu mihi illam uel oblectationem & requiem à seuerioribus studijs, uel etiam ut ego experior non mediocrem utilitatem ad linguam & uitam excolēdam, adimas: nam siquis mei ingenij captus est ad ista expēdenda, in quibus tamen quotidie uersor, nec intelligo quid Homero uberius aut magnificentius legere possim, nec quid Virgilio diuinius: qui duo cum sint non singulorum sępe hominum studio solum, sed ipsarum nationum contentione inter se comparati, utri dandus sit in hac laude principatus, soleo crebro usurpare sententiam tuam: qui sic dicere es solitus, plurima esse in Homero, quae in coelum tolli, nihil in nostro, quod melius posset optari: ab illo tamen tanquam fonte & patre omniū doctrinarum caeteros ueluti riuos fluxisse putas. Nā quod comoediam saepe affirmas priuatę uitę & ciuilis consuetudinis esse magistram, speciem habet, ut ego arbitror, hos quoq; poetas non repudiantis: quorum Terentius ceu sedatus amnis quemadmodum fluat pure & leniter, nihil secum turbidum neq; fucatum deferens: utq́; se accommodet ad omnia quae incidunt, apte, scite, eleganterq; & narranda & respondenda, quis legens non cum quadam animi de-
lectatione

lectatione miretur? in quo mihi uidetur habitare ipsa modestia: sic enim cauet ab obscœno spurcoq́;, ut interdum quid quanq; deceat personam parum attendere uideatur. Plautus fortasse licentior: sed tamen quid eo ad locupletand in latinam orationem & facilitatem sermonis copiamq́; uerborum, potest esse utilius? De poetis cæteris nõ loquar, quorum est & Græcis & Latinis festiua copia: plura enim genera poetarum habentur, quod in oratoribus fortasse non ita est.. Sed hoc dicam communiter de uniuersis, cum sit aliquid in unoquoque quod excellat in aliqua in ingenij parte, & in plerisque laudabilia permulta, non uideri hoc genus ab institutione bonorum morum & à studijs doctrinę eius, quam expetimus, repellendum esse. quod si fortunę & temporis iniquitas aut nobis in uetustis cõseruandis autoribus tragœdiã reliquisset, aut non ademisset Gręcis comœdiam, magnam opinor uoluptatem ex Græcorum & Latinorum inter se scriptorum contentione caperemus. Sed quando hoc nobis bonum ereptum est, siue hęc hominum iniuria fuerit, siue temporis, ex alternorum tamen lectione licet animaduertere, quę sit utriusq; generis uis, quanquam tragœdia forte turbulentior, & ad concitandos diuersis affectibus animos non parum certe potentior. I A. *Polite ista admodum & perquam commode Paule: itaque gaudeo tua ista in expendendis scriptoribus Gręcis & Latinis attentione ac diligentia, in qua specimen nobis eximium tui ingenij prębes: mihi quidem non paruam laboris partẽ ademisti in discernendis & dijudicandis poetis, nam hos*

modo

modo quos commemorasti, & alios ferè horũ similes non legendos solum, sed habendos tibi perquamfamiliareis puto: nec usq; eò Platonis illud interdictum horreo, ut non putem bonum morem potius poetis, quàm poetas bono mori legem esse laturos. Sed tamen neq; ille in eo statuendo nõ aliquid secutus est: et nos te nolumus in numero ducere poetarum sotadicos istos impuros uersificatores, qui ad omnem petulantiam progressi, omnia scurrilibus probris referserunt. PAV. *Nequdquam mi pater, intelligo enim quos dicas, nisi siquando illi legendi sunt, ut excellentium et grauium poetarum uirtus & sapientia magis eluceat. Sed quod de Musica te uelle dixisti dicere, id ego audire sanè aueo.* IA. *Quippe qui in hac arte patris tui cura apprime à pueritia instructus fuisti. Sed ego non ea dicam, quę huius uulgatę & triuialis Symphonię sint, cuius auribus tantum suauitate demulcendis omne est lenocinium, & quę in sola penè uocum flexione ac modulatione ipsa consistunt: hanc enim uelut bonis moribus inimicissimam iure et ab rep. sua exclusit Plato, & in suas ciuitates Aegyptij nunquã admisere. Sed dicendũ est de uera Musica, cuius animis ab agresti illo rigidoq; sensu ad urbanitatem reflectendis, & eisdẽ rursus ne mollicia nimia perfluant, uirtute & constantia uinciendis, totum officiũ est: & quoniã diximus esse quiddã, quod anteuertendũ primo nobis uidere tur, sic habeto: cũ quemadmodũ in stadio fieri solet, nos in hoc disciplinarũ & artiũ ingenuarũ ueluti decursu quasi è carceribus deducamus adolescentiam, ut eam in loco ubi est premium certaminis positum sistamus: summum esse illud*

& extremum

& extremum quo tendimus ipsam illam de qua toties iam locuti sumus perfectricem naturæ humanę ac rationis & beatę uitę largitricem philosophiam: ad quam cum fuerit peruentum, constituenda in eą sedes est, & omnium consiliorum collocandum domicilium: quippe cum nec quod ad salutem nostri, tranquillitatemq; pertineat, nec quod ad sani animi plurimas capiundas uoluptates utile sit, quicquã ibi possit deesse: porrò exorsus huius nostræ deductionis grammaticæ ipsa extitit: è qua cum tantum institeris in ea quantum fuerit necesse, ad ornandam & excolendam, alia quadam arte et doctrina orationem discedendum est, cuius in primis necessarię & maxime pręclarę facultatis studiũ in omnem reliquam deinceps uitam pertinere debere diximus: tanquam sine qua magnus uir quispiam, & inter cęteros gloria eminens nec domi, nec uero etiam belli existere facile possit. Verum etsi hanc exercitationem grauiter, distincte, ornateq; differendi, qua de re cunq; fuerit propositum comitem adolescenti, in omnem ętatem tradimus, ut cum unà cum eo ad philosophiam tanquã ad mare fluuius peruecta fuerit, coalescat cum illa in unum quasi corpus et confluat: sic eam uolumus aliarum artium ac disciplinarum, tanquam aquarum & fluminum accessu, uberiorem fluere. Itaq; nulla est earum artium, quę liberales sunt, et in genuo homine dignę existimantur, non suscipienda adolescenti quatenus commodum sit, hoc est ut tantum in una quaq; ponatur temporis, quantum fuerit satis, nam neque rit negocium difficile, & illę tamen societate & consensu quodam nexę inter se & colligatę sunt, ut qui in unam

penitius

penitius intrarit, facilè sibi aditum patefaciat ad cęteras. Itaq; antiqui illi Græci, qui hęc curiosius et in maiore ocio q̃ nostri tractauerunt, cum cernerent ad perfectam summamq; sapientiam, quam illi in gubernatione rerum publicarum: & in excellendo ac pręstando cæteris hominibus consilio ac eloquentia positam arbitrabantur, iter esse per huiuscemodi artes, pręceptores quidem dicendi simul & sapiendi, quos illi Sophistas uocabant, quasi ciuilis prudentię magistros, impenso conducebant pretio liberis: ut affixi illis semper, ab eorum latere nunquam discederent: ad alios uero doctores Geometras, Musicos, Astronomos, filios tanquam deambulatum iubebant duci: apud quos tamen aliquid reperirent quod operę precium esset addiscere. Sed cum ætas puerilis & paulo etiam magis adolescens plurimo igni citata & uiuida, quiescere nullo pacto queat, semperq; in agitatu motuq; sit, nec garriendi, cursandi, clamandi constituat modum, quas putauerunt artes regendæ illi ætati & temperamento quodam fingendæ idoneas potissimum esse, eas primas adhibuerunt, gymnasticam uidelicet & musicam, quarum altera corporis in puero motus, altera animi, effusos ipsos per sese & immoderatos, sub leges quasdam redigeret: ut cum suos naturæ cursus impetusq; permisisset, affingeret tamen quiddam ex arte & disciplina, quod cum uenustatem omnibus illis motionibus, tum corpori ualetudinem, animo modestiam præterea posset afferre. Ac quod ad corpus quidem & eius exercitationes attinet, permulta ex illo antiquo usu contraria consuetudine sublata sunt: non enim nos neque frequen-

bus balneis utimur, neque quotidie lauamus, quod illi studio faciebant: nec oleum iandiu aut palæstram ullam nouimus: tantum quę erant Romanæ *exercitationis propria in nostris moribus remanserunt, pleraque equitare, currere, pila ludere, iaculum mittere, certare rudibus, & siqua eiusmodi sunt ad laborem corporis ualetudinemq; spectantia, quæ non tam sunt artis, quàm studij: & in quibus decor omnis accersendus est, non à pręceptis magistri, sed ab ipsius ingenio & modestia adolescentis. Vnum etiam reliquum est commune gymnasticę & musicæ agitandi corporis artificium, quod in choreis situm est, & in ipsa arte studioq; ad fidium sonitum tibiarum'ue saltandi. In quo ipso tamen musicæ priores partes obtinet, ad quam, quoniam de gymnastica satis est dictum, eis coloribus, quos probauit antiquitas in puerorum animis depingendam iam transeamus.*

P A V. *Quàm uereor, ne hoc quicquid ego didici musices, ex eo genere sit, quod tibi minus probandum esse uideatur, quanquam ego iandudum ab illo propè desueui, & ut tu uidere potes, minus minusq; eo quotidie delector, & ad hanc grauiorem & nobiliorem musicen, quam conspicor in poetis, libentius me dedo, quæ animum meum illis numeris & dignitate ac grauitate sententiarum propè in cœlum rapit.* IA. *quod didicisti* Paule *de uocibus & tonis (sic enim uos appellatis) aut tollendis in acutum, aut rursus in graue deprimendis, itemq; de certis, falsisq; uoculis, nec non de eo quantum integer tonus, quantum dimidiatus pendat, quæ*

in diapason uis, quæ in diapente, qui gradus uocum numeriq; & ipsorum inter se permutationes, quæ cui uoci cum uoce quaque consonantia, & siqua sunt talia musici ludi documenta, non inficiabor ea abs te & rite & necessario percepta esse. Sed harum rerum cognitio est non difficilis: illud uidendum, ne malo usu ars sine dubio ad hominis naturam in primis accommodata, si corrupta ea sit, mores deinde quoque & animos nostros ipsa corrumpat? etenim nihil est profecto ad obligandum & comprehendendum animum numero potentius, nec quod se magis illi insinuet, aut normam legemq; præscribat, quemadmodum eum uelit moueri & affici: declarat hoc tacita ipsa sæpe lectio oratorum & poetarum, & quando in utrisque numerus modiq; sunt, & mensuræ interuallaq; uerborum, & si in poetis id multo est expressius: sed tamen hos cum legimus, sentimus nos intus affici, & qua numerosa illa uis sese inferat, cum hac una ferri, & in omnem partem pertrahi sensus nostros. Quod si uox cantusq; accedat illi cōpositioni accommodatus & cōgruens, uix ullum animi robur obstiterit, quin det manus, & se ducēdum tanquam addictū præbeat. quid ergo est? quò plus in hoc genere est actionis & uirium, hoc magis prouidendum erat, quod tamen nequaq̄ fit, ut ne cuiq; liberum esset, quemadmodum quisq; uellet musicæ modos & uariare et flectere, sed statis quibusdā et publice probatis oēs cogerentur uti: quod quidem antiquitus Lacedæmone usq; eò seuere fuit obseruatum, ut Timotheum Citharœdum nobilem in primis ma-

gno concursu artem Spartæ profitentem, quod chordam unam addidisset in cithara, tanquam soluentem leges, & labefactantem iuuenum disciplinam, illa ciuitas exterminandum curauerit. quod si quæratur qui modus sit in musicis tenendus, hæc ego omnia attendenda esse puto: cum constet chorus ex tribus, sententia, rythmo (hic enim numerus nobis est) & uoce, primum quidem omnium & potissimum sententiam esse, utpote quæ sit sedes & fundamentũ reliquorum, & per se ipsa ualeat non minimum ad suadendum animo uel dissuadendum: numeris autem modisq; contorta penetret multo acrius: si uero etiam cantu & uoce fuerit modulata, iam omnis intus sensus & hominem totum possideat. Videndum est *igitur a cute uel ciuitati, si quæ forte aliquando publice huius rei susceperit curam, uel priuato ciui, qui bene & pudice erudiendi filij certe sit curiosus, ita ut addiscatur hæc ars, ut quod subiectum materiesq; est artis, uerba uidelicet & sententiæ, ex genere eo sint, quod ad optimos conseruandos alendosq; mores ualeat plurimum: quod idonee fiet, si aut laudes clarorum uirorum, eorum'ue dicta & pronunciata ad uirtutem pertinentia, aut diuinæ res, & de* Deo *ipso ea prædicabuntur, quæ habent illius bonitatis, benignitatis, clementiæq; commemorationem, cum maxima nostra utilitate beneficijsq; coniunctam: cuiusmodi primum scripsit in originibus* Cato, *usurpatum fuisse apud ueteres* Romanos, *ut post epulas ad tibiam fortium uirorum laudes, & pręclara in patriam merita canerentur: altero interdum utuntur poetæ, ut apud* Virgilium Iopas, *de sole, & luna, & cœle-*

& cœlestibus rebus illic canens: apud nos uero sublimius, multo atque sanctius, qui sacris numeris diuinæ potestatis, & erga nos beneficentiæ mysteria cecinerunt: quod & nuper musis omnibus approbantibus fecit homo ingenio & eloquentia & Christiana pietate in omni poetica facultate præstans Actius Syncerus*: hac quidem basi supposita & collocata, adhibendus iam deinceps numerus est: qui nequaquam poterit profecto fluidus esse, & mollis, & inconstans, si dignitatem illius sententiæ apte debeat modulari: sed habebit suauitatem austeram & uirilem necessario, grauesq; consectabitur modos: non enim aut natura ipsa fert, aut nostra potest pati expectatio, ut factum egregium* Mutij Scæuę *siquis narrando astringat, numeris celeribus id iambis debeat euoluere: festinationis enim & auiditatis, & turbati iratiq; animi pedes illi sunt, non constantis inuictęq; uirtutis: neque item deuotio illa* Deciorum, *& in medios hostes procursus, cum se illi pro patriæ salute ad certam proiecere mortem, mollibus elegis aut fluentibus dithirambis uinciendus est: sed heroum quęrit carmen, ut dignitatem rerum par numerus consequatur:* Porrò *sententia & numero consonantibus non poterit uox illis solidum & uirile tenentibus ipsa infracta & muliebris esse, qui iam erit concentus non solum ad bonos mores & disciplinam utilis, sed etiam, ut mea fert opinio, iucunditate ipsa, & amœnitate longe superior: non enim dulci quodam ueluti decocto satietatem cito afferet, & sensus fastidio ab alienabit, sed suauita-*

tem autoritate condiens tenebit diutius, atque in adolescentium animis insinuans præclarum illud fœdus honestatis cum uoluptate, quod caput esse bonorum morum diximus, idoneum erit id & conciliare in animo, & conseruare. Hanc ego *musicam & tibi* Paule *& omnibus adolescentibus, qui uirtutis uolunt esse studiosi, & sectandam cupide, & firmiter comprehendendam præcipio: quanquam tu quidem nostra monita tuo studio antecedis.* Nam *ista, quę nunc uulgo & passim celebris est musica, quid habere in se potest recti ac decori, quæ aut nulla uerborum fermè & sententiarum sede sufsulta sit: aut si etiam habeat subiectam aliquam sententiam, illius tamen sensum ac notionem concise fractis ac uibratis inter fauces uocibus infuscet & impediat: quasi uero idcirco reperta musica sit, non quę mulceat temperetq́; animos, sed quę auribus tantum deseruiat, & imitetur uolucrum ac bestiarum cantus, quarum tamen similes esse nollemus: at hoc est corporeum animum efficere, & minime compotem sui: à quo iure optimo cum abhorreret* Plato*, huic esse tali in sua ciuitate noluit locum: nanque ubi molles, infractę, uoluptariæq́; sententię paribus numeris, & simili uocum modulamine proferuntur, uel ad libidines fluxæ, uel in doloribus languentes, uel ad subitos turbidi animi motus præcipites, & cócitatæ, quá tu ibi labé uirtutis, quá bonorum morum uastitatem fieri putas?* E*t nimirú hoc modo primú pristinú suum morem rectum & laudabilem corrupit* Græcia *theatris & scenis nimium frequentandis, chorisq́; illis in*

lis in primis adsciscendis, qui suauitate aures, animos autem maxime affectionibus uarijs permouissent: inde in urbem Romam deuecta illa pernicies, neruos antiquę grauitatis perfregit, & discidit: nostra autem hac ætate quid sperari debeat boni ex huiuscemodi musicæ, promptum est cognoscere, cum uideamus quibus moribus sint ij, qui eam tradunt & profitentur. quaombrem non illa hęc est digna homine libero, sed quam paulo ante protulimus, laudabili sententia, grauibus numeris, uoce uirili ad studium uirtutis animum accendentem: cui si adiungatur præterea motus agitatioq; corporis ad sonum numerumq; conuersa, iam saltatio exoritur, & choreæ ipsæ, quarum nos usum mon penitus interdicimus adolescentiæ, raro modo illæ & sobrie exerceantur: non inutiles erunt exhilarandis animis, & ex studiorum labore & contracta illa cura reficiendis: uerum missas eas facere celeriter oportet, & saltationem totam deserere: maturę enim fit inepta, neque potest cum grauitate uirili, sedatioribusq; moribus ullo pacto in unum locum tempusq; conuenire: paulatim deinde quoq; cantus & uocis modulatio relinquenda est, ut ne utamur ea ipsi, non ut ne audiamus utenteis alios. Nam auditio cuicunque ætati concessa sane sit, etiam senectæ, & ultimę, dum modice fiat, neque nimis dedita opera expetatur. Rhythmos quidem & sententias numeris astrictas ex illo genere graui, siue in legendis poetis, siue in carminibus interdum etiam pangendis, omnis uitę comites uolumus esse,

habent enim amœnum iuxta atque opportunum à seuerioribus sæpe studijs & publicis curis occupationibus'que diuersorium. PAV. *Percæpi planè mi pater, & quid tu adsciscas, probes'q; in musicis, & quid repellas: dabo operam igitur ut tibi in utroque ac ueritati ipsi satisfaciam.* IA. *Ne Arihmetica quidem Paule non aduocanda est in cæterarum consortium disciplinarum, quę est ipsa ars & scientia numerandi: cuius usus ita nobis necessarius est, ut uideamur absque ea ne quot digitos quidem habeamus in manibus, aut quot oculis intueamur scire posse: quod ridicule uidetur accidisse priscis hominibus ante Palamedem, cuius hoc inuentum apud Troiam fuisse fertur: quo quidem tempore neque Agamemnon tanti exercitus dux, neque is, qui in consilijs excellere ab Homero dictus est Nestor, naque uero Vlysses mortalium omnium uersutissimus, numerum earũ nauium, quibus appulerunt ad Troiam, potuissent dicere. Sed fabulis missis, huius artis scientia atque exercitatio adolescentibus tradenda est, quatenus quidem expedit: principia enim certe percipienda sunt, & introrsum nonnihil penetrandum, ut numerorum differentias, paris'que & imparis uim ac ipsorum inter se multiplices ac uarios intelligamus nexus, responsus'que propè mirabiles referentium certis interuallis & spatijs priores in numeris antecedentibus affectiones, ac notas posteriorum semper numerorum, ac siqua sunt alia eiusdem modi, quæ cum ingenua oblectatione noscende, artis liberalissimę, ad acuendum excitandumque ingenium pręcipue idonea sunt: mentemq; pręterea à corporeis abstrahunt*

strabum rebus, & ad meliorem sumet usum conuertunt: ut sua ui nixa, neque sensibilium rerum diuerberata, cogitationibus in illa ęterna et immobili ueritate intuenda firmius hęrere possit, id quod scientia hęc habet inprimis: est enim numerorum ea natura & uis, ut nullo aut minimo cōmercio cum fluxis rebus, & nunquam in eodem statu manentibus, implicata sit, sed tanquam pura & simplex, et sibi seposita uirgo, non adeuntium oculis, nec manibus, sed castis tantummodo mentibus attrectetur: quo etiam deterius sibi ex illa & suę ui tę auspicium faciunt, qui illam eius partem, quę in subducendis & colligendis summis posita est, quam ratiocinatiuā appellamus, conferunt ad quęstum, neq; emolumentum ex ea sibimet ipsis, sed arcę & loculis suis appetunt: & si enim huic quoq; ministerio apposita est, non alio fini tamen recte usurpatur, quàm ut belli & domi bene geratur respub. & priuatę quoq; rationes ordine administrentur, quę sine hoc studio teneri rite non queunt. Ac quęstus quidem ingenuis animis turpis semper & sordidus est: recta autem communis rei priuatę q; gubernatio sapientis hominis propria. Quid quod ab ista arte cęteris omnibus artibus, quas mathematicas uocamus, principia traduntur, nec sine hac illę suum munus obire possunt? Quid enim sine notione numerorū Musica? Quid Geometria? Quid ipsa cœli & syderum speculatrix Astrologia potest efficere? quę cum artes ab hac arte numerum tanquam animum acceperint, uestiunt deinde illum ipsę, & de suo aliquid quasi corpus adglutinant: ut uerbi causa, unitati, qua nihil est in natura rerum simplicius,

neque

neque in seipsa contractius, & ab omni omnino aliena re absolutius, situm & positionem Geometria addit, Musica sonum, uisum etiam & motum adiungit Astrologia. quid Geometriam quibus uerbis honestabimus? cuius uis disciplinæ latius etiam permanat, & in omneis artes penitus opificiaq́; humanæ uitę diffusa est? cum enim puncti sit linearum, superficierum, figurarum tam in plano, quàm in solido scientia, certissimisq́; nixa rationibus & fundamentis, nusquam labatur, nunquam titubet, cum ad mirabiles præbet in tuenda ueritate animis uoluptates, tum omnibus apta rebus non solum atque apposita, uerum in primis etiam & maxime necessaria est: illud enim quod unum continet omnia, quę arte & manu effici solent, libratio ipsa & collocatio, & unius ad alterum proportione facta commensio Geometricæ tota est: neque starent tecta urbium & mœnia, illaq́; ampla & præclara operum monumenta, quæ in templis, theatris, fornicibusq́; uetustis Romanæ urbis adhuc conspicimus, non tanta admiratione nos afficerent, nisi geometricis fuissent elaborata mensionibus. quid columnę, porticusq́;? quid belli instrumenta, & machinę? quid fingendi, pingendi, & aut ex ęre, aut ex marmore cudendi tantis opificum ingenijs nobilitata quondam, & solis ingenuis permissa ars? ipsaq́; tota nauigatio, & locorum, orarum, regionum, littorum ex geographia sumpta descriptio? agrorumq́; dimensus, & aquarum deriuationes? ac denique ne singula memorem, quicquid uel oculis spectabile & magnificum, uel ad usus uitæ commodum ac necessarium est, huius omne est artis

& geome

& geometricæ facultatis inuentum. quanquam quid nos manu facta recensemus, cum ipsa hęc cœlestia, quę supra nos, circumq; torquentur: quorum & species & utilitas nul la est oratione explicabilis, ipsaq; item leuis & grauis in inferiore mundo & commutabili connexio librataq; pari= bus momentis æqualitas, qua diuersę res, & plurimum in- ter se repugnantes, ita ligantur & uinciuntur unà, ut cũ se alternę maxime fugiant, sic maxime contineantur, ratio ne geometrica quidem, sed ea diuina, fabricata sint. Hanc *tantam huius artis uim & potestatem cum intelligeret* Ar *chimedes, qui unus fuisse traditur in hac scientia longe o- mnibus pręstans, dictitare solitus erat, confidere sese, si alter inuentus foret terrarum orbis, hunc posse ad illum ap plicare & adiungere: & sanè ea ille de se indicia perhibe bat, ut non id loqui temere, neq; inaniter, & falsò gloriari uideretur: ponderum enim & mensurarum rationes, qui- bus reguntur, diriguntur q; omnia, cum ex* Geometria *opti me calleret, intelligebat earum uim non quotidianis modo his instrumentis subsidijsq; communis uitæ, sed maximis etiam uoluendis & moliendis rebus idoneam esse.* Atque *hic tantus uir, qui patrię suæ obsessæ contra exercitus* Ro *mani uim, & maximi imperatoris uirtutem, propter* Geo *metrię & ponderum scientiam unus fuit auxilio, repreben sione tamen non caruit, quod scientiam hoc ipso in primis nobilem, quod à sensibus oculisq; remota, sola mentis ui intelligentiaq; nitatur, quasi direpto honore produxisset in publicum: etenim apud illos eruditos academię pulue- res, ubi ista quondam liberalius tractabantur, potior quę=*

dam &

dam & magis occulta expendebatur huiusce artis uis, fru ctusq; petebatur alendis atq; ornandis bonis ingenijs multo uberior, qui non in oculis & admiratione uulgi, sed in ipsius ueri contemplatione artisq; speculamentis, quę theoremata Gręci uocant, positus esset, quae ppetua serie aliud ex alio, tanquam orta tractaq;, sic subtiliter uere perspicueq; monstrantur ut illa cognoscendi suauitate contentus animus, nil amplius requirat: nec suæ tranquillissimę uoluptati populari extrinsecus plausu uelit obstrepi. PAV. *Dij immortales tot'ne et tanta nobis cognoscenda esse pręcipis, præsertim properantibus ad philosophiam? quę uideantur singula unius ætatem hominis distinere facile posse? etsi tibi ego assentior, fateorq; debere omnia percipi, si etiam potis est, ad eamq; rem sanè alacris animo sum: sed audio tamen sæpe permultos accusantes breuitatem hominum uitæ, & difficultatem, ac magnitudinem huiuscemodi artium uerbis exaggerantes, quasi earum finis nulla capi possit.* Itaq; *habent illud* Theophrasti *identidem in ore, qui moriens accusasse naturam dicitur, quæ brutis animantibus, uolucribusq; nonnullis perlonga uiuendi spatia tribuisset, cum eorum nihil illa res interesset: hominem uero qui esset ad intelligendum & contemplandum natus, tunc potissimum extingueret, cum is mente & ratione bene uti uix cœpisset: quorum de opinione quid sentias, itemq; ad philosophiam percipiendam, quã pręcipue sectamur, ecquã in istis, quas commemorasti, artibus opportunitatem esse constituas, audire si placet sanè uelim.* I A. *Maximam Paule, ut tibi ad posterius tuum respondeam prius: neque*

eam

eam simplicem & uniusmodi, sed multis rationibus utilem & accommodatam: nam cum omnis cognitio & scientia est liberalis, tum autem artes hę, de quibus iandudum loquimur, illius ipsius quam appetimus philosophię, tanquam unius magni corporis quasi membra quędam sunt: quicquid enim in rerum naturis tractandis noscendisq́;, quocunq; illę è genere sint, & in illarum uero intuendo uersatur atq; inhęret, totum sub ditione philosophię est, ac lumine illius, tanquam ueritatis radio illustratur: porrò in philosophia quędam sunt quę cęterorum maxima pręstantissimaq́; habentur: qualis est de summo omnium bono cognitio, deq́; eo, quod summe est, quodq́; cęteris causam ut sint præbet: & siqua sunt alia eiusdem modi naturę illius eximię & principis cognata atq; affinia: ad quæ intelligēda, quoniā in excelsissimo mentis loco posita sunt, per huiusmodi studia et disciplinas, tanq̃ per cliuos gradusq́; scanditur: multaq́; adhibentur ex hisce ipsis facultatibus mentem aīum'q; adminiculantia, & in sublime tolli adiuuātia: sine quibus labare atq; errare fermè esset necesse, ut harum in hac quoq; parte egregia artium opera utilisq́; reperiatur: uerum illa palmaris, quod auocant animū à sensibus, ipsumq́; docent, per semetipsum quæ consideranda sunt, ea seorsum à sensionum corporearum strepitu, solum in semetipso considerare & cernere, quod est maxime certum et proprium philosophi munus: nam cum naturas rerum omnium, & illud ipsum quod sunt, uel summouerit procul natura à conspectu nostro, uel quas etiam obtulit, & tradidit nobis penè conturbernales, tantis eas tamen in uolucris contexerit,

ut aur-

ut aures, oculos, cęterosq́; sensus permoueant modo, menti autem ipsi, conanti apprehendere illud quod quidq; est, offundant tenebras: non fuit mediocris operę, neque exigui laboris, facere animum ipsum sibimet uiam per mediam turbam, concursionemq́; sensilium, & illud ipsum inuenire, quod quęq; res una est, unum ipsum scilicet idemq́; semper, neq; tempore ullo, neq; mutatione uariabile. quod quoniam nullo pacto fieri potuit, nisi coërcitis & relectis sensibus, ac illis etiam imaginum similitudinibus, quæ ex sensionibus rerum exterarum introductæ in animum atque impressæ uolitant uagæ, contemplantiq́; obstrepunt, silere penitus iussis: idcirco ut quęq; ars sic se gerere animum, atq; à sensibus quoad potest discedere, redireq́; in sese maxime docet, ita maxime ad philosophiam utilis ea, atq; opportuna est, quod in his numerandi metiendiq́; disciplinis pręcipue licet cernere: illæ enim menti ea tractanda cogitandaq́; proponunt, quæ à motu, quæ à sensu, quæ à tempore, quę à uarietate, à discrepantia à contrarijs pulsionibus penitus remota alienaq́; existunt, perpetuamq́; obtinent & immutabilem in se ipsis constantiam ac ueritatem: quę cum sit familiaris philosophię facultas, mathematicę istę artes & scientię, uel quod animum sic erudiunt, ut solus ad speculandum sua ui niti & confidere consuescat: uel quod ipsę quoque philosophię partes & membra quodã modo sunt, ad illam ipsam aspirantibus noscendę quadam tenus, nec sine honore debito sunt prętereundę. Nam quod magnitudo earum deterreat nonnullos, & desperare bene sibi cogat, non est

hoc

hoc artis nec difficultatis ex arte, sed imbecillitatis, & desidię uitium: equidem non eo inficias, esse in artibus ipsis non difficultatem meherculè, neq; operositatem (ut ita loquar) abhorret enim res à natura uerbi, sed subtilitatem potius, & abstrusionem quandam rerum intelligibilium, nequaquam expositam populo, nec patentem hebetibus tardisq; ingenijs, quę tamen acutorum, & ualentium ingeniorum aciem non effugiat, quo illa paruo ductu exiguaq; monstratione intenta tam facile tamq; celeriter penetrant, non ut alienas & inhospitas peragrare regiones, sed uti in suo regno dominari uideantur: est enim permagna hominum ingenijs innata uis, in quibus illa hominibus ab natura bene locata & constituta sunt: atq; ita magna, ut neque numero rerum, quas concipiunt, apprehenduntq;, uincantur, neque amplitudine & mole opprimantur, nec tenuitate acumineq; frustrentur. Sed quemadmodum oculi, quibus à natura uegeti & perspicaces sunt tradditi, facili leniq; conuersu in quã se cunq; dederint partem celeriter oĩa & sine labore quę uolunt contuentur. Sic mẽs bene instituta, & subornata à natura ad omnia comprehendenda in quę intenderit est perspicax. An si hoc esset difficile, tantopere plurium artium scientia & copijs se instruere, tot olim è scholis Gręcię doctissimi homines produxissent: illamq; magnificam & gloriosam (ut tum quidem uidebatur) promulgassent uocem, sese paratos esse omnibus quacunque de re quis quęreret statim respondere. quod primus fecisse traditur Leontinus Gorgias: *cui quidem ob eam rem tanti honores à communi* Gręcia

habit.

habiti sunt, ut ex omnibus uni non inaurata Delphis, *sed aurea statua collocaretur: quę tamen nouę ostentationis pro fessio principio in admiratione habita, postea turba & multitudine idem facientium profitentiumq; euiluit: atq; alij tamen suo ingenio & studio ostētando artium istarum, quas liberales dicimus, & bonarum literarum regionibus se tenuerunt.* Hippias *uero, qui in olympiorum celebritate totius* Gręcię *multo maxima non solum ingenuas omneis di sciplinas callere sese, earumq; idoneum ciuibus authorem & magistrum se fore professus sit, sed palàm audiente* Gręcia, *etiam annulum quem in digito haberet, soccos quibus indutus, pallium, quo amictus esset, ab sese factos & fabricatos gloriatus est, non ne declarat nullam esse artem, quę effugere hominis ingenium aciemq; possit? quanquam iste quidem fortassis nugator, & cęteri cum illa gloria nó ferendi.* Ad *illos te reuoco, qui summam cum & gloriam perfectę sapientię sine ulla ostentatione consecuti sunt.* An *tu putas quicquam fuisse in rerum natura, aut in ullius artis scientia, quod aut amplitudinem, prudentiamq;* Platonis, *aut acumen ingeniūq;* Aristotelis, *aut ubertatem* Theophrasti, *aut* Polemonis, Arcesilę, Chrysippi, Carneadis *copiam diligentiamq; pręterierit? quanquam horum quidē talium & multitudine & gloria redundauit uetus* Gręcia, *ut singulos nominare non sit necesse.* Nostri *in hoc genere infrequentiores, quod accidit fortunę uitio.* Vix *enim aperto ad philosophiam aditu, primus* M. Varro *ueterū omnium doctissimus, deinde flumen illud aureum eloquentię* Cicero *eò se immiserat,* Romanaq; *ingenia secum pertrahebat,*

trahebat, cum repente cõmutato reip. statu, barbari & mores & literę silentiũ optimis artibus indixere. Sed ut ab illis antiquis sęculis ad nostra tempora deueniamus: nõ te puto arbitrari eũ, quẽ maxime miraris, quẽ semper in manibus habes, quem assidue legis, Petrum Bembum, *sine multarũ disciplinarũ cognitione & scientia ad tam eximiã laudem eloquentię totius q́; sapientię peruẽire potuisse: in quo quidẽ homine maximũ est ornamentum ętati nostrę constitutum, & mihi singularis ex eo lætitia, quando nos inter nos sanctissimo fœdere amicitię iã inde ab adolescentia coniuncti, nihil germanis fratribus in amore mutuo concedimus. quid de* Hieronymo Aleandro*? quid de* Desiderio Erasmo *dicã, hominibus doctissimis & oĩum artium ac doctrinarum cognitione, usu, memoria q́; celebratissimis? quid de* Andrea Alciato *nostro? ac ne longius abeas: tuus* Paule Gregorius Lilius, *cuius tu primo cũ patre tuo etiam dũ cum esses, autoritate & diligentia bonis literis imbutus es: non'ne cõpluriũ doctrinarũ scientiã sine difficultate tanta assecutus est? Nam is quo cum ipse assidue uiuit, quem nos quoq; admirari soliti sumus uir clarissimus & nobilissimus* Ioan. Franciscus Picus, *cuius tandẽ scientię aut disciplinę expers ulli unquam uisus est? qui cum haberet domesticum exemplum quod imitaretur, hominis oĩum in omni uirtute & doctrina maximi,* Ioannis Pici *patrui sui, suo ingenio, diligentia q́; perfecit, ut non illũ desiderare iam mortuũ, sed eũ in huius ipsius eodem sanguine procreati, doctrina & moribus recognoscere possimus. Verũ ne sit infinitum numerare oẽs, qui studio acri atq; ingenio prędíti in pluribus artibus facultatibus q́; uiguerunt, sic in præsentia concludamus. Cum*

hęc quæ in ingenuis & pręclarissimis artibus posita sunt, habeant quandá in dissimilibus generibus, consimilē tamen ad quęrendū & inuestigandū uiam, per quam tanq̄ uno eodemq; spiritu oĩa contineantur: facile patere ea bonis & acutis & uigilantibus ingenijs, ŭ q; ad comprehendendum parata expositaq; esse: tardis aũt, atq; hebetibus, et imbecillitate desidiaq; corruptis apparere difficillima, uerissime ut dictum esse uideatur, aut cito ea pcipi, aut nunq̄: quod non uarietatis in illis, neq; artiū difficultatis, sed ingeniorū et uoluntatū omne sit discrimen. Nec siqui extiterunt, extantq; quotidie, qui singularem aliq̄ ex his artem cum sibi tractandam cognoscendamq; proposuissent, oēm suam ętatem in ea consumpserunt, id sanè mirandū est: qđ idem potest contingere nauigantibus, ut cum sibi portum aliquem proposuerint, quò uelint proficisci, capti forte inter nauigandum alicuius loci amœnitate, dimisso pristino cursu, resideant ibidem, & sua oĩa componant: properantibus quidē ad philosophiā, ut tu modo dixisti, in qua est portus nostris fortunis constitutus, hæc tanquam diuersoria capienda sunt, cōmorandumq; in his quoad expedit, & cognitioni satis sit, quæ hactenus esse debet, ut locorū situm et mores, cultusq; hoīum non tanquā ciuis & incola, sed ut curiosus uiator inspexisse uideare: ut cum eodē fortasse redeundū tibi fuerit, non itineris monstrator quęrendus, sed notum & familiare hospitiū sit ineundū. Sic in disciplinis & artibus cęteris, ꝑ quas gradimur tendimusq; ad philosophiā, ipsa artiū principia & fundamēta cognoscenda sunt, capitaq; illa rerum è quibus oĩs postea ad singulas tractandas & confirmandas res argumentatio ducitur, pcipienda penitus, et in

memoria

memoria sunt constituenda: aliquę etiã singulares noscendę quæstiones, neq; oẽs tamen, quęcunq; in illa arte colligi et concludi possunt: id enim iã infinitum est, & in quo cum plures uiri boni tempus oẽ suũ atq; ocium disposuere, capti illecebra desidiosæ cuiusdã delectationis: parit enim ex sese semper aliquid atq; gignit ipsa in unaquaq; arte assidua uolutatio, q̃d cum uoluptate contemplere, dũ res cunctas minutatim obire uult, quę sub illius artis cadunt notionẽ: nec modũ sibi facit, nisi is se euoluat et explicet qui quemadmodum Vlysses maiore ui ad se eijciendũ nixus est, quàm ut ad Sirenarũ cantus possit adhęrescere. Illud possum ego cõfirmare & polliceri audacter, siquis per hasce facultates et disciplinas contenderit ad philosophiã, & illarũ cognitione doctrinaq; mediocri nõ tã instructus quàm imbutus, huic oĩum scientiarũ dominę totum sese dediderit, fore uti postea cum usus acciderit, ad illarũ unam quancunq; rediens, et aliquid in ea nosse tractareq; instituens, multo id & facilius agat & melius quàm si expers philosophiæ in unius studio ętatem totam contriuisset: reuertetur enim ex opibus copijsq; philosophię et aĩo et ĩgenio multo paratior. PAV. Iam intelligo mi pater & facilitatem illã, quã dicis, & modum, et ordinẽ, quem tenendũ putas, prorsusq; ita agi oportere ꝑsuasus sum. Sed quod sæpius iam mihi te loquente accidit, ut amore quodã ferrer ad philosophiam, eo nunc uehementius me inflãmari sentio, q̃d nihil usquam pręclarum neq; appetendũ esse uideo, q̃d non ex illa, aut propter illã sit. Ecquis igitur mihi ille erit dies, cum in tanti possessione boni Deorũ immortalium summo, et tuo pater beneficio positum esse me cognoscam? IA. Et breue est q̃d tibi uiæ et

 nunc

nũc restat, et oĩa futura sunt tuo isti aĩo facillima: ac mora lis quidẽ philosophię initia iã attigisti, ad summas aũt et altis simas philosophie partes ac rationes certa semita est, qua ego te deducam, cum curriculũ hoc confeceris, quod tamen totum penè percucurristi: cęteris enim liberalibus disciplinis à te perceptis, Geometriæ aliquantum plus & Astrologię quoq; studij ac temporis est impendendũ: quod tamẽ utrunq; una ęstas effecerit, atq; ita ut oĩa è Græcis scriptoribus petas, quando latina perturbatius scripta sunt. Et quoniam de Astrologia adhuc nihil diximus, ne ea quidẽ silentio uidetur prætereundã esse, quæ est cœlestium non tam naturarũ et corporũ (id enim philosophię munus est) quàm motuum illorum tot atq; tantorũ, & diurnarũ ac nocturnarũ conuersionum circuitionumq; tam in uniuersis globis cõtinẽtibus oĩa, quàm in ipsis stellis sideribusq; scientia: cuius non omneis partes, neq; singula articulatim mẽbra nosse necesse est, nisi siquis illã artem uelit profiteri: scire quidem quæ [illegible] esti, ad philosophiã tendentibus, & quod in facultatis [illegible] principijs consistit addiscere, certe humanum est. quis enim est tam agresti animo, et tam auersus aureis suas ab ipsa uoce naturæ, qui non spectaculo et contemplatione tantorũ luminũ, ad aliquã eorũ considerationẽ moueatur? aut qui nõ studeat nosse locũ, in quo siti sumus, medius infimus, an summus ille sit: ortus quoq; signorũ & obitus, solisq; & lunę, & cæterorũ errantium conuersiones, tum dispares inter se, tum suis tamen unam quanq; spatijs et tẽporibus solennes atq; statas: astrorũ quoq; ipsorum unius ad aliud accessus, & plerũq; antecessus, subitos ẽt interdũ recessus: defectus itẽ (ut poeta inquit) Solis uarios, Lunæq; labores

labores, aut tantū oceano properent se tingere soles Hyber*ni, uel quę tardis mora noctibus obstet, & cætera eiusdem modi, quæ qui percipere animis suis contemnunt, nō ut philosophiam ijdem percipiant, sed ut homines esse existimentur magnopere est illis elaborandū.* PAV. *Vere ita est, nam si orta est ex admiratione cura cognoscendi & percipiendi, ut te sæpe audio loqui, nihil est profecto rerū istarum, quæ in cœlo sunt, contemplatione admirabilius.* IA. *Hoc quidē cursu* Paule *confecto (quoniam ad tuæ ætatis spatia iam accessimus, nihil enim tibi, aut paulum quiddam adhuc deest ex ijs, quæ supra dicta sunt) intrandum demū est in philosophię campos latos atque patentes, eosdemq; feraces & frugiferos rerum omnium, quarū ad alendam beatissimam uitam usus esse aliquis atque opportunitas potest: q̄d nos quidē facere in te cœpimus, qui te admonuimus ad* Aristotelis Ethica: *qua ex lectione intelliges quæ tibi in moribus recta atque ingenua sunt, usu & disciplina comparata, non ipsam uirtutem esse, sed simulachrū imaginemq; uirtutis: cui tamen, ut alio loco diximus, spiritum atque aīam philosophia infusura, & simulachrū exanime ac mutum, uitale simul ac uocale effectura est.* Verum *huic philosophię studio dialecticam esse adiunctam oportet, quam eandē & logicam appellamus: cuius artis partem eam, in qua de figuris & modis argumentandi traditur, iampridem te docuimus, quarū ipse argumentationum multis iam rebus usum utilitatemq; cognosti: sed restat multa atque ardua, quę si intractata imperceptaq; sint, labare mentem nostrā in maximis inuestigandis rebus fermè sit necesse: est enim certa quędā uia & persubtilis ratio explorandi in unoquoque genere,*

quo de quęratur aliquid, quid sit illius generis cognatū in primis & propriū, unde ad concludendum et demonstrandum firmissime res argumentationesq; ducantur, quod hoc enucleatius scire, nosseq; oportet, q̄d infinitę penè sunt aptę ad fallendū & in se quidē ipsæ longę alienę à uero, sed ueri tamen similitudinē præ se ferentes rationes: quæ non imbutos modo mediocriter, sed sæpe hoīes doctissimos eruditissimosq;, puertunt, stantesq; deijciunt, & circumueniunt cautos: quibus nisi arma dialecticæ scienter peniteq; tractētur: minime possit obsisti. Sed quoniā & hęc ipsa, quæ nūc de dialectica dicimus, et totā illius uim & potestatem paulo post in ipsis Aristotelis libris nobis monstrātibus cogniturus es, nō attinet plura loqui, nisi id tātum monere et pręcipere, quoniā in ipso iā limine philosophiæ constitutus es, ut optimos autores scientię pręstantissimę, tibi semper legendos uolutandosq; proponas: Platonem in primis, et Aristotelem: quorū quidē duorū cœlestibus ingenijs admirabiliq; sciētia, iure se oībus gētibus anteponit Gręcia, tum aūt Gręcos potissimū interpretes: nam hos, qui latinā scriptionē professi, barbara oīa, pollutaq; reddiderunt, & inquinatis literis, præposterisq; quęstionibus, magnas offuderunt philosophiæ tenebras, magnopere tibi uitandos et fugiendos esse sentio: nihil enim afferunt ingenui neq; recti: sed cum uerā ignorent philosophię uim, & rationes nothas, quas Græci sophismata uocant, pro legitimis & ueris rationibus consectētur, ad clamandū quidē & litigandū ualde robusti sunt, in doctrina uero, & in ipsa sapientia prorsus sunt imbecilles: qui etiā uanitate quadā ingenij ignorantiaq; inducti, in eis rebus populi aucupantur famam, quarū eos rerū maxime

xime pudere oporteret: sed horũ turba ineptijsq; reiectis, tu Paule *sic philosophiã amplexator, ut eã intelligas artem esse bene beateq; uiuendi: nec intelligendi solum, sed etiam agendi, faciendiq, magistrã: hęc tibi constantiã et firmitatẽ in bonis moribus allatura est: hęc copiã et ubertatem pulcherrimarũ rerũ ac sententiarũ orationi tuę suppeditabit: hęc te optimis instituet et consilijs et uoluntatibus, fideiq; tibi erit et officij et integritatis semp magistra: hęc efficiet ut illud excelsum & erectũ & liberũ in aĩo, in quo inest dignitas, nunquã cedat fortunę, non secundis ullis rebus, nõ aduersis permoueatur. Quod siqui huc peruecti & uberibus philosophię aliquandiu aliti, ad alia uitę studia deinde se conuerterint, siue ius ciuile uoluerint exequi, siue reipub. curã domi belli'ue, siue quancunq; aliam artem sectamq; earum, quę cum honore laudeq; suscipiuntur, sciant illi ad quã se cunq; dederint partem, & facilitatis multo plus in assequendo, & in agendo prudentię atq; industrię esse secum delaturos. Qui uero in philosophia perpetuũ uitę suæ domiciliũ constituerint, eos* Dei *potius similes, quàm ex cõmuni hoĩum more ac natura iudicandos esse. Quorũ quidẽ de numero te in primis cupio esse* Paule, *ut tua ad uirtutẽ indoles, nostrumq; desideriũ optimo ac pręclarissimo fini terminetur.* Ego*q;, qui nullos refugio ut te erudiã & instituam labores, hac potissimũ in te posteritatis spe consolationeq; sustentor.*

FINIS.

Venetijs per Io. Antonium et Fratres de Sablo, sumptu & requisitione D. Melchioris Sessæ. Anno Domini M D XXXIII. Mense Iulio.


VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA IN ROMA

